5. 6. 182

Digitized by Google

DE THEURGIA,

DEQUE

THEURGICIS ETHNICORUM MYSTERIIS

A DIVO PAULLO

MEMORATIS,

COMMENTARIUS.

Digitized by Google

CASTI INNOCENTIS ANSALDI
ORDINIS PRÆDICATORUM
OLIM
IN PUBLICO FERRARIENSI,
NUNC
IN REGIO AUGUSTÆ TAURINORUM
ATHENÆO
SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS,

DE THEURGIA,

DEQUE

THEURGICIS ETHNICORUM MYSTERIIS

A DIVO PAULLO

MEMORATIS.

COMMENTARIUS.

MEDIOLANI)(MDCCLXI.
EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ
IN REGIA CURIA.
Sumptibus Joſephi Bonacinæ Bibliopolæ.

Google

EMINENTISSIMO PRINCIPI

JOHANNI BAPTISTÆ ROTARIO

S. R. E. CARDINALI

ARCHIEPISCOPO TAURINENSI

Supremi Ordinis SS. Annunciationis Equiti
&c. &c.

CASTUS INNOCENS ANSALDI
ORDINIS PRÆDICATORUM.

Quum inter innumeras & præclariſſimas dotes ac virtutes tuas præcipue effulgeant humanitas, ſapientia, pietas, prudentia, & religio, mihi facilis afful-

 ſit

ſit ſpes , fore , ut Elucubrationem hanc meam Tibi humillime offerri non dedignareris , PRINCEPS EMINENTISSIME . Nam quum in ea de Theurgicis egerim Ethnicorum Myſteriis , non modo ut aliquam ſublimi & recondito Divi Paulli loco afferrem lucem ; verum etiam ut explicarem quibuſnam mediis Gentiles animum a ſordibus , quæ ei per geneſim adnaſcuntur , & a cæteris malis liberare , nec non unionem ſuis cum Diis conſequi ſtuduerint ; inde cogitabam acceptum ſapientiæ futurum tuæ non proletarium Operis mei argumentum . Quamvis enim eos , in denſiſſimis idololatriæ tenebris verſantes , in negotio æque purgationis & liberationis animæ errare debuiſſe nemo non intelligit ; certum tamen eſt , eoſdem de purgatione ejuſmodi ſollicitos fuiſſe , quem-

ad-

admodum ſacra docet, ac civilis omnium gentium & populorum hiſtoria; quod univerſum genus humanum aliquam ſemper habuerit trium humanæ naturæ ſtatuum, innocentiæ, corruptionis, & reparationis cognitionem, Traditione vel imperfectioribus in Sectis conſervata. Eum vero in finem qui prudentiores, cæteriſque ſapientiores ſibi videbantur, eadem non inceſſere, qua Sacerdotes Theurgorum, via. Quum enim hi Deorum Myſteriis, & cæremoniis, nec non mediantibus Angelis, purgationem & liberationem animæ, unionemque ipſius cum Diis obtentum iri prædicarent: illi ex oppoſito purgativis, & purgati animi virtutibus ſe ſe ad comprehenſionem intelligibilis & ſimpliciſſimi Entis comparabant, quo ſatis purgatos ſe, & unitos eſſe cum Deo gloriabantur: qua

 pro-

profeċto in re utroſque umbram veritatis naċtos ipſa longiſſime fugit Veritas, dum alii virtutes & ſapientiam ſine religione, alii religionis ſaltem larvam, ſed abſque virtute & ſapientia ſectarentur. De his autem dum diſſero, deque Myſteriorum, Theurgicorum origine & fine, de abſtinentiis, viſionibus, & perfectionibus Theurgicis, de cæteris demum, quæ ad artem teleſticam pertinebant, eaque ex interiori Philoſophia, atque ex ultima antiquitate commentari ſatago, maximam veneror Chriſtianæ Religionis præſtantiam, quæ ſapientiam divinam divinis cum virtutibus, ſacroſque ritus cum ſacris moribus conjungens, verum & unicum nobis proponit mediatorem Chriſtum, quo ſolo auſpice, & in cordibus hominum cœleſtem operante ſanctitatem, mundari, & liberari poſ-

ſumus

ſumus a ſordibus , & unionem cum Deo obtinere . Sublimem hanc vero , profundamque altiſſimarum Theoriam rerum , quam contra Theurgos , mediationem Angelorum oſtentantes , illuſtravere Sancti Patres , qui leviter etiam dubitarem fore pietati tuæ gratam & jucundam , PRINCEPS EMINENTISSIME , qui tanto , actus ſemper fuiſti erga Deum affectu , tanto erga Chriſti Myſteria ſtudio , tanto puritatis ardore , ut veterum religionem Pontificum , & Patrum , non æmulari modo , ſed omnium conſenſione æquare videaris ? Id ſolida manifeſtat , ac prope cæleſtis diſciplina , qua tum Clerum , tum Diœceſim univerſam ita moderaris , ut priſtinos in ipſis mores revocatos eſſe gaudeamus ; quod tuo præſertim exemplo factum eſſe conſtat ; ſolent enim ingenia ad men-

tem

tem Principum componi ; proptereaque felix quæcumque & proſpera temporum inclinatio in decus & gloriam imperantium vergit. Ea autem diſciplina tanto majoris virtutis rationem habet, quanto magis prudentia temperatur tua ; quod equidem dum præſtas, ex Commentario meo intelligo, non aliud habere tui Te regiminis exemplar, quam Paullum ipſum, aſperas & immodicas Theurgorum abſtinentias contemnentem, præferentemque illis ſuave jugum Chriſti, & onus leve iis, qui ex toto corde illum diligunt. His, ut inquiebam, de cauſſis probatum Tibi augurabar Operis mei argumentum. Attamen quum animadverterem, me, nimium tenuem grandia temere conatum, illud pro dignitate gravitateque minime pertractaſſe, hærebam ſtatim, & an illud ſiſterem ante

Te

Te valde dubitabam, non ignarus longe majoris pretii, artificii, & molis Opera eſſe auguſto Nomini tuo conſecranda. Quid enim Te præſtantius & illuſtrius, ſive inclytum & heroicum Genus tuum, Proavoſque, pacis haud minus, quam belli artibus clariſſimos, ſive ſplendidiſſima ſpectemus vitæ tuæ acta, ſive ſublimes & excelſas quibus fulges dignitates, ſive quanto decore, magnificentia, & gloria eas tuearis? Tanto igitur talique Viro, Eccleſiæ Principi, exiguum adeo laboris mei fœtum offerre auſus minime fuiſſem, niſi tua ſuccurriſſet menti ſingulariſſima benignitas, clementia, lenitas, & inſita benemerendi cupiditas, qua omnium animos & affectus devinxiſti, quæque me in ſpem iterum erexit, futurum, ut ſtudium ſaltem, & obſequium in Te meum palam,

fieri

fieri hac ratione patereris ; præſertim quum dicere tam frequens ſoleas : diuturnam non eſſe poſſeſſionem , in qua vi , & ſævitia inducimur : beneficiorum gratiam eſſe ſempiternam . Illud autem dum a Te impetro , PRINCEPS EMINENTISSIME , ſacram oſculatus purpuram , Deum Optimum Maximum etiam atque etiam precor , ut Te diu Eccleſiæ ſervet incolumem , tuiſque virtutibus debitam conſervet , atque augeat felicitatem .

AP-

APPROBATIO THEOLOGORUM

ORDINIS PRÆDICATORUM.

Reverendiſſimi P. Magiſtri F. Johannis Dominici Villavecchia Vicarii Generalis Ordinis noſtri juſſu, legimus diligenter R. A. P. Magiſtri F. Caſti Innocentis Anſaldi *De Theurgicis Myſteriis Commentarium*, tantumque abfuit ut quidquam in eo deprehenderimus, quod a doctrina Orthodoxæ Religionis, rectaque morum inſtitutione alienum eſſet, ut mirati contra fuerimus ſingularem Clariſſimi Viri Eruditionem, inque expediendis difficillimis quæſtionibus facultatem. Quam ob rem quod ad nos quidem attinet, dignum id Opuſculum cenſemus eſſe, quod formis excudi, vulgarique poſſit.

Dabamus in Cœnobio S. Mariæ ſuper Minervam VIII. Kal. Auguſti 1761.

F. Thomas Maria Mamachius O. P.
Theologus Caſanatenſis.

F. Hyacinthus Maria Bonfilius O. P.
Cathedraticus Caſanatenſis.

Nos

Nos Fr. Johannes Dominicus Villavecchia
S. Theol. Magiſter, ac univerſi Ordinis
FF. Prædicatorum humilis Vicarius
Procurator Generalis, & Servus.

CUM Opuſculum, cui titulus eſt, *De Theurgicis Myſteriis Commentarius*, Auctore R. A. P. Magiſtro F. Caſto Innocente Anſaldi, in Univerſitate Regia Taurinenſi Profeſſore, Provinciæ noſtræ utriuſque Lombardiæ, juſſu noſtro, a duobus Ordinis noſtri Theologis, videlicet, ab AA. RR. PP. Magiſtris F. Thoma Maria Mamachio Theologo Caſanatenſi, & a F. Hyacintho Maria Bonſilio Cathedratico Caſanatenſi, jam reviſum, & approbatum fuerit: harum ſerie, noſtrique auctoritate officii, facultatem, quantum in nobis eſt eidem concedimus, typis edendi præfatum Opuſculum. Servatis de jure ſervandis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum &c. Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam, die 1. Auguſti 1761.

Loco ✠ Sigilli.

Fr. Johannes Dominicus Villavecchia
Mag. Vic. Proc. Generalis Ordinis.

Juſſis

JUſſis obſequens Reverendiſſimi Patris Magiſtri Thomæ Auguſtini Ciccarelli Inquiſitoris Generalis Sancti Officii Mediolani, *De Theurgia, deque Theurgicis Ethnicorum Myſteriis a Divo Paullo memoratis* Clariſſimi Viri, *Caſti Innocentis Anſaldi, Ordinis Prædicatorum, olim in publico Ferrarienſi, nunc in Regio Auguſtæ Taurinorum Athenæo Sacræ Theologiæ Profeſſoris Commentarium* accurate vidi: nihil occurrit Fidei Decretis, boniſque moribus adverſum: miratus ſum Auctoris ingenium, Eruditionis copiam, perdifficilis argumenti dilucidam explicationem: egregium opus, ut in lucem prodeat, approbo, atque etiam exopto.

Dabam in Ædibus S. Angeli, Mediolani die 27. Auguſti 1761.

F. Joſeph Maria de Vedano Ordinis Minorum Lector Jubilatus, Exprovincialis, & Sancti Officii Mediolani Conſultor Eccleſiaſticus.

Die 28. Auguſti 1761.

Attenta ſuperiori atteſtatione

IMPRIMATUR

Fr. Petrus Martyr Roſſi O. P. S. Theol. Magiſter, & Vicarius Generalis S. Officii Mediolani.

J. A. Viſmara pro Emin., & Rev. D. D. Card. Archiep.

Vidit Julius Cæſar Berſanus pro Excell. Senatu;

IN-

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

De Theurgicis Ethnicorum Myſteriis a Divo Paullo memoratis. Pag. 1

CAPUT II.

Quid Myſteria fuerint Theurgica. 16

CAPUT III.

De Origine Myſteriorum Theurgicorum. 41

CAPUT IV.

De Myſteriorum Theurgicorum fine. 59

CAPUT V.

De Abſtinentiis Theurgorum. 77

CAPUT VI.

De Theurgicis Viſionibus, deque cultu, & mediatione Angelorum. 104

CAPUT VII.

De Virtutibus, & perfectionibus Theurgicis. 130

CAPUT VIII.

De Purgationibus Philoſophorum. 144

CAPUT IX.

De Theurgia Philoſophorum. 176

CAPUT X.

De Theurgia primorum Hæreticorum. 200

CAPUT XI.

De Theurgia Hieraticorum. 228

CAPUT XII.

Ex Theurgicis Ethnicorum Myſteriis doctrina Apoſtoli explicatur. 262

CA-

CAPUT PRIMUM.

De Theurgicis Ethnicorum Myſteriis a Divo Paullo memoratis.

APoſtolus in ſua ad Coloſſenſes, quæ ad Laodicenſes æque ſpectabat, Epiſtola, poſtquam eos monuiſſet, muniiſſetque adverſus tum Philoſophorum ſophiſmata, tum Pſeudo-apoſtolorum inſidias arteſque Hæreticorum, tum denique contra præpoſterum Judaizantium zelum, illis quæ II. Capite leguntur: *Nemo vos decipiat in ſublimitate ſermonum . . . Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam . . . Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in partibus diei feſti, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum*; ita ſuam ad eos parænefim proſequitur:

Nemo vos ſeducat volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum, creſcit in augmentum Dei. Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis hujus Mundi, quid adhuc tamquam viventes in Mundo decernitis? Neque tetigeritis, neque guſtaveritis, neque contrectaveritis, quæ ſunt omnia in interitum ipſo uſu, ſecundum præcepta, & doctrinas hominum: quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ, in ſuperſtitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis. Ita pro Vulgatæ noſtræ lectione.

Illuſtrem, & ſublimem hunc Divi Paulli locum, quem profundos, & reconditos continere ſenſus intellexit, & monuit Divus Hieronymus, explicaturi Interpretes, varias abiere in opiniones. Fuere qui exiſtimaverunt, Apoſtolum heic egiſſe adverſus neſcio quos Hæreticos, docentes, non per Salvatorem Chriſtum, ſed per Angelos accedendum eſſe ad Patrem; indignum quippe contendebant eſſe majeſtate Unigeniti Filii Dei, ut is fieret apud Patrem ho-

hominum peccatorum Interceſſor, ac Depreca- tor; quemadmodum terreno in Regno rem ſe indignam facere putaretur filius Regis, ſi vilem aliquem homuncionem, capitis reum, ad Patrem duceret reconciliaturus: proptereaque, Chriſti loco Angelos, quibus id magis congrueret, noſtros ad Deum Mediatores fuiſſe ab illis Hæreticis conſtitutos. Placuit aliis opinari, Apoſtolum de illis loquutum tunc fuiſſe, qui ſpecie Religionis tanquam eſſent *Angeli*, ſive Dei Nuncii, aut *Eccleſiæ Præſides*, ſe ſe hominibus inſinuarent, ut eos denique deciperent. Major Exegetarum pars reſpectos a Paullo arbitrata eſt aut Judæos communes, aut ſatius Phariſæos, aut Pſeudo-Apoſtolos, aut Simonianos, vel Cerinthianos, aut nonnullos etiam Philoſophos: de Theurgia vero, ſive de theurgicis Ethnicorum Myſteriis, Apoſtolum eo loci cogitaſſe, ſive ea reſpexiſſe, eorum neminem ſuſpicatum invenimus.

Non defuere qui in medium relinqui poſſe cenſerent ad quoſnam tum reſpiceret Apoſtolus, dum tamen ipſius de ſenſu conſtet. In ejuſmodi autem tradendo ſenſu adeo inter Interpretes communiter convenit, ut unius enarratione perlecta, cæteros omnes conſuluiſſe, tibi

videre videaris. Quoniam igitur plures exſcribere a liberali Sæculi ingenio abhorret, præſertim quod eorum opera ubique proſtent, & manibus omnium terantur, propterea unius Paraphraſi contenti erimus, celeberrimi ſcilicet Benedicti Juſtiniani, ita Paulli locum ſuo in Commentario illuſtrantis: *Nemo, quaſi Certaminum moderator, palmam vobis, aut bravium intervertat, propoſita vobis ſpontanea, & ultro ſuſcepta humilitate, & Angelorum cultu, ſe ſe temere ingerens in ea, quæ neque vidit unquam, neque alia ratione percepit, inani quodam tumore a carnis ſuæ neſcio quo ſenſu, profecto ultra modum faſtuoſus: atque ob id a ſuo Capite recedens, qui eſt Chriſtus, ex quo totum Eccleſiæ corpus, per commiſſuras, & compages a ſingulis veluti dato ſymbolo ſuppeditatum, & compactum, augeſcit in dies, & Dei nutu præſidioque ſubnixum, majora capit incrementa. Quocirca, ſi una cum Chriſto tamquam mortui, a mundi elementis liberi eſtis & ſoluti: quid rurſus quaſi viventes, fruenteſque mundi hujus aura ſpirabili, antiquis ritibus denuo quaſi jugo colla ſubmittitis? Scilicet, audiendi ſunt illi, qui neſcio qua vana ſuperſtitione deluſi, tertio quoque verbo inculcant, cave ne attingas, vide ne gu-*

ſtes,

ſtes, apage ut leviter attrectes. Quæ ſane omnia humanis inventis inſtitutiſque præſcripta, nullo divino præcepto tradita, ipſo abuſu pereunt, & in nibilum recidunt. Nam ſi juſta lance pendantur magnifica Judaizantium, aut Simonianorum dogmata, & inſtituta, ſpeciem quidem nonnullam habent ſapientiæ, quod cultum voluntarium, animi ſubmiſſionem, denique neglectum corporis, & eorum, quæ ad corpus ſpectant, contemptum doceant; re tamen vera nullius pretii cenſenda ſunt, cum in iis tantummodo rebus verſentur, quibus hæc caduca, & mortalis caro ſancitur. Hæc ille, a quo cæteri non abeunt, eo tantum, ut innuebam, diſcrimine, ut alii Judæorum de moribus heic dictum velint, alii de ritibus Judaizantium Hæreticorum, aut Simonianorum.

Haud dubitamus nos æque Paullum Coloſſenſes hortatum fuiſſe, ne ullis aut perſuaſionibus, aut Infidelium impoſturis, ſeduci ſe, & a recta dimoveri ſententia paterentur; eoſque indigitaſſe, qui magnificis proponebant verbis eam, quæ circa Angelos frequentabatur, religionem; deque Angelis differebant, ac ſi cum illis familiariſſime vixiſſent: homines vero ejuſmodi, in diſciplina verſari ſolitos fuiſſe haben-

te nomen, ſpeciem, & veluti rationem ſapientiæ, in abſtinentiis, & mortificationibus, ut ita dixerim, conſtituta; adeo ut non corpori parcerent, non carni; interim vero caput illud ignoraſſe, per quod aſcenditur ad cognitionem Dei, & ad unionem cum eo, ſcilicet mediatorem Chriſtum. Hoc inquam, de ſenſu non dubitamus. Verum, quæ infelicitas aut noſtra, aut Apoſtolici textus foret, oſtendi ſi non poſſet, quinam fuere ejuſmodi Impoſtores? Impervium ſane eſt has omnes, quas in Paulli verbis legimus, notas, & characteres in Judæis reperire, aut judaizantibus Hæreticis, Simonianis, Cerinthianis, quemadmodum etiam in Philoſophis; neque propterea tamen illis de inveniendis deſperandum eſt, quibus allegata omnia omnino convenire videantur. Hos arbitramur Theurgos fuiſſe, eorumque aſſeclas, theurgicis videlicet Angelorum Myſteriis addictos, quod hoc in Commentariolo oſtenſum fore confidimus. Brevibus tamen cæterorum de interpretationibus aliquid dicamus.

Primum enim dum dixit Apoſtolus, Seductores ejuſmodi *non tenuiſſe caput*, nempe Chriſtum, de illis utique non loquebatur, qui Chriſtum majorem eſſe prædicabant, quam qui ſe

ſe ſe ad officium mediatoris pravitati præſtandum noſtræ inclinaret. Præterquamquod, ubi nam gentium. & quinam ætate Paulli reperiri poſſunt ejuſmodi Hæretici? Per Angelos autem *Sacerdotes*, *&* *Præſides Eccleſiæ* intelligi heic poſſe vetat, quod hanc per vocem abſolute, & abſque ulla facta vel Eccleſiæ mentione, vel alia addita reſtrictione, uſurpatam, eos indicari præſtantiſſimi inficientur novi fœderis Interpretes, ut legere eſt apud Johannem Dietericum Vinclerum, *Parte I. Animadverſionum Philologicarum & Criticarum ad varia ſacri Codicis loca*, teſtimonium Apoſtoli I. ad Corinthios XI. de muliere poteſtatem habente ſupra caput *propter Angelos* numero primo explicantem: ne prætereamus, non ex vocula, aut connate, ſed univerſa ex Orationis ſerie, ex Auctoris fine & ſcopo, ex omnibus ſimul acceptis characteribus & notis, quæ ſingillatim in illis inveniantur ſeductoribus, eorum eſſe nomen & conditionem hauriendam.

Judæi quidem *non tenebant Chriſtum*; aſt tametſi Phariſæi inter illos immodico corporis affligendi ſtudio, ſive per inediam, ſive per alias quaſcumque obſervationes, ab ipſis Religionis ſpecie excogitatas, adeo addicti fuerint,

 ut

ut ſimulacrum corporis magis, quam corpus ægre non ſemel traherent, quemadmodum Epiphanius in Hæreſi Phariſæorum, & Hieronymus in Epiſtola ad Algaſiam tradunt; ut optime tamen hunc animadvertit Eſtius in locum, nulla docet Hiſtoria Phariſæos, aut Judæos etiam cæteros, poſt reditum e Captivitate Babylonica relapſos fuiſſe in Idololatriam, aut in cultum Angelorum, propterea neque a Salvatore Chriſto, neque ab Apoſtolis, neque a Stephano in Actis eo de crimine & errore reprehenſos. Grotius æque Paulli textum de Judæis interpretatos his notat verbis: *Ab Eſſenis diligenter cuſtodita Angelorum nomina ex Joſepho diſcimus. Alioqui publicus Judæorum mos non fuit Angelos compellare, niſi eos, qui ipſis apparebant; nimirum metu, ne paullatim ad πολυθεΐαν tanto labore exutam relaberentur:* quod notatum Origeni, *Libro contra Celſum II. & V.* Idipſum confirmat Baſnagius in ſua Judæorum hiſtoria lib. IV. cap. 10. Sane, qui ex Veteribus Idololatriæ erga Angelos Judaicam poſtulavere Gentem, ætate Chriſti, & Apoſtolorum reliquam, ex Apocrypho *Prædicationis Petri* Libro id hauſere, quemadmodum id de ſe teſtatur Alexandrinus Clemens.

Quod

Quod ad Pſeudo - apoſtolos ſi deſcendimus, certum æque eſt, eos nunquam in ſacris Litteris notatos fuiſſe quod Angelos colerent, multoque minus quod Chriſtum ignorarent. Evangelium illi ad ſalutem non ſufficere modo contendebant, proindeque Moſaicæ cæremonias Legis eſſe cum ipſo conjungendas. Præterquamquod vero ea, quæ ipſo auctore Deo inſtituta fuerant, quamvis jam non neceſſaria, ad hominum doctrinas & præcepta ablegare, abſurdum videretur, neque ſcripturæ, aut Patres legalibus de cæremoniis loquentes, Apoſtoli hoc in loco phraſi uſi umquam ſint; accedit, Judaizantes illos a Divo Paullo innumeris repræſentari in locis tamquam homines, quorum Deus venter erat, turpis lucri, & voluptatum cauſſa, omnia agentes, ad apertum denique & inverecundum pronos quæſtum: cum quibus ſane moribus pugnabat illorum Diſciplina, de quibus illuſtrando in loco diſſerit Apoſtolus; illorum, inquam, qui, Angelos dum adorarent, non corpori parcebant, neque carni, neque ea tangebant, guſtabantve, aut contrectabant, quæ poſſent ſenſum delinire.

Sed antequam procedamus, præterire non poſſumus interpretationem viri, cæteros utique

ex-

exſcribere numquam ſoliti, videlicet Harduini, qui in ſuo ad hunc Paulli locum Commentario; ne offenderentur Principes judaicæ ſynagogæ, has ſi forte litteras intercepiſſent, ænigmatico arbitratur eos nomine ab Apoſtolo deſignatos, nomine ſcilicet Angelorum. Quoniam enim vetere in Teſtamento *Angeli*, *&* *Dii* dicti ſunt Magiſtratus Populi judaici, inde eum loquendi morem ab Apoſtolo uſurpatum hoc in loco inſert; adeo ut qui ænigmatice verbo illo Apoſtolum ſcripſiſſe ſubodorati non ſunt, aut in cæteris ipſius admonitionis phraſibus interpretandis a ſe diſſentiunt, eos hac ex Epiſtola indigeſtam facere rerum inter ſe ſe minime cohærentium farraginem contendat hic ſcriptor, hanc demum totius Apoſtoli ſententiæ paraphraſim ſubjiciens: *nemo vos ſeducat, qui velit humiliter morem geri Magiſtratibus Judæis in his quæ ad Religionem pertinent, ambulans more Judæorum, ſequens formam divini cultus, quam non certa vidit placere Deo, fruſtra tumens ſenſu carnali, & vana exiſtimatione ſuæ ex Iſraele originis, cognationiſque cum Abrahamo, & non eſt interim conjunctus Chriſto, qui caput eſt, per quod toti corpori Synagogæ, & Eccleſiæ, ſive membris ejus ſubminiſtrantur a Deo dona, & functio-*

ctiones, quibus connectuntur, & conjunguntur Fideles inter ſe: unde corpus Eccleſiæ creſcit augmento fidei, & charitatis, quod a Deo eſt. Si ergo mortui eſtis cum Chriſto, liberatique a primis rudimentis Judaiſmi: quid adhuc, tamquam viventes in Judaiſmo, decernitis, dicentes: ne tetigeritis, neque guſtaveritis, neque contrectaveritis hos, vel illos cibos: (cum hæc omnia vadant in ſeceſſum, & corruptionem ipſo uſu:) quid adhuc vivitis ſecundum præcepta & doctrinas hominum? Quæ ſunt quidem ſpeciem habentia ſapientiæ, ſi obſerventur ex ea abundantia Religionis, & ex animi humilitate; non autem ad corpus indulgentius tractandum, aut ad ſtipendium exigendum, ut carni quis obſequatur ad ſaturitatem. Hæc ille.

Hanc tamen interpretationem vix aliquem probaturum arbitramur. Præterquamquod enim Coloſſis, & in Phrygia, tum & Apoſtolo longe agenti nullus eſſe metus poterat Magiſtratuum Judaicorum; neque in aliis Epiſtolis ſuis viſus eſt Apoſtolus cavere, ne Synagogæ Principes indignarentur; conſonum adhuc minus erat, Epiſtolam, inſtitutionis ergo, ad ſimplices Fideles datam, ænigmatico fuiſſe ſtylo conſcriptam, quare illius de ſenſu poſſent credentes dubita-

bitare. Ad hæc, Magiſtratibus Judaicis, & Principibus Synagogæ, omnes non conveniebant notæ, & characteres, quos iis, de quibus agit, ſeductoribus tribuit Apoſtolus. Quis enim dixerit, ipſos eam aut coluiſſe, aut propoſuiſſe vivendi diſciplinam, & formam, quam heic Paullus notat, & deſcribit? Denique, ſi Angelorum nomine novo in Teſtamento, atque hoc etiam in loco, intelligi ſinamus Reipublicæ Judæorum Magiſtratus, periculum videretur imminere, ne ſacrum tandem Textum in ſenſus detorqueamus a cœleſtium mente ſcriptorum, & a divinarum analogia litterarum alienos. Sed & phraſes, quæ in Paulli admonitione continentur, quemadmodum patebit, ejuſmodi Exegeſi repugnant.

Aliquid propius videre viſus eſt Eſtius, Paullinarum Epiſtolarum egregius Interpres, qui in ſuo ad hunc locum Commentario, probe animadvertens, non poſſe eum aut Judæis aptari, aut Judaizantibus Hæreticis, propterea ſcripſit: *Videtur Apoſtolum heic agere contra quoſdam, qui ex ethnica Philoſophia, quæ de Geniis, Dæmonibus, & minoribus Diis inaniter multa contemplabatur, cultum eorum introducere conati fuerint, ſub nomine Angelorum, docen-*

centes, nos mediantibus Angelis purgari oportere: nam & hoc Platonici quidam docuerunt. Id vero erat Chriſti officium ad Angelos transferre, non ea ratione, qua Chriſtum dicerent majorem quam qui ſe huc demitteret; ſed quod Angelos, propter excellentem eorum naturam, etiam ſupra Chriſtum honorarent. Igitur, horum affectata, & perverſa humilitas in eo erat, ut ſubmitterent ſe iis, quibus, & quomodo non deberent, ſcilicet Angelis. Scopum heic Apoſtoli prope vidit, quamvis perfecte non attigerit vir præſtantiſſimus. Quamvis enim Platonici nonnulli recentiores, ſive potius Eclectici, de Geniis revera, deque Dæmonibus, & minoribus de Diis plurima commenti ſint, eorumque cultum, & mediationem, quo Chriſtianis pertentarent reſiſtere, ſcripto celebrarent: negari tamen videtur poſſe, eoſdem, Seductores fuiſſe illos, quos cavere debebant Coloſſenſes; tum quod ad Apoſtoli ætatem minus pertinebant; tum etiam quod Theurgiam illam, quam, vindicandæ quo meliore modo poterant Idololatriæ, tuebantur verbo, opere minus uſurpabant.

Nonnulli, fateor, Apoſtolici temporis Hæretici Angelos dicuntur venerati, myſteria etiam quædam celebraſſe, in quibus ſacrificia per Angelos

gelos Deo eſſe offerenda conſtituerant. Attamen neque illis aptari poſſe notas & characteres, quos ſeductoribus, de quibus loquebatur, tribuebat Paullus, videbimus in loco; quare conſequemur, eiſdem non eſſe ipſius verba accommodanda, ſed Theurgis potius, Hieraticiſque, ac Gentilium Myſtagogis. Quamvis enim reliqua nunc ſint quod ſpectat ad Hæreticos, & Platonicos illos recentiores monumenta, quæ ad Theurgos & Hieraticos quod adtinet, maximam partem deſiderantur; ſi res tamen in examen diligentius revocetur, facile parebit, ætate Apoſtoli, & antiquioribus temporibus, Theurgiam, univerſam ſerpſiſſe per Idololatriam, fuiſſeque receptam undique, & propagatam, a Hieraticis, ſive a nonnullis, qui cæteris præſtantiores credebantur, Gentilium Sacerdotibus exercitam, & independenter, ita ut loquar, a quacumque Philoſophia, aut Hæreſi, ritibus & cæremoniis ſuis conſervatam; adeo ut purgationem animæ conſequi ſperaverint in Theurgia initiati, non Philoſophiæ inſtituto & diſciplina, ſed mediantibus Angelis in Theurgia advocatis, ipſorumque virtute rituum, ac Myſteriis Theurgorum.

Etſi vero inter Sanctos Patres, de citato Apo-

Apoſtoli Paulli textu pertractantes, non videatur omnino convenire, illos ſi reſpicimus, de quibus quærimus, Seductores; quare iſtorum inquiſitio nobis adhuc libera eſſe videatur; ex eorumdem tamen locis, & teſtimoniis Patrum, quæ in medium proferemus, Tertulliani præſertim, Clementis Alexandrini, Arnobii, Auguſtini, & Joannis Chryſoſtomi, palam prorſus erit, interpretationem noſtram eſſe ex eorum doctrinis, & fonte derivatam. Quod ut ordine præſtemus, theurgicis de Myſteriis prius nobis agendum videtur, eorumque de origine, & fine; de abſtinentiis Theurgorum, deque theurgicis viſionibus, cultuque, & mediatione Angelorum, de virtutibus demum, & perfectionibus, quas illorum initiatione Myſteriorum conſequi ſe Ethnici decepti confidebant, quo ejuſmodi explicatis, ad interpretationem verborum Paulli tandem deſcendamus, oſtendamuſque, nil aliud tunc ipſum voluiſſe, quam Coloſſenſes monere ac Laodicenſes, ne aliquam eorum haberent rationem, quæ Theurgi, ac Hieratici nonnulli, purgandis animis, obtinendaque eorum unione cum Deo, ſuis ſe præſtare in ſacris gloriabantur.

CA-

CAPUT II.

Quid Myſteria fuerint Theurgica.

VUlgatis, & notiſſimis in præſens miſſis, animadvertemus ſolum, *Myſteria* generatim accepta ſignificaſſe vel pompas, feſta, & celebrationes Deorum, vel initiationes reconditas in eorum ſacris. Arnobius libro contra Gentes II. totus in Deorum fabulis oppugnandis ſcribebat: *Unde igitur probamus hiſtorias has omnes rerum eſſe geſtarum conſcriptiones? Ex ſolemnibus ſcilicet ſacris, atque initiorum Myſteriis, vel quæ ſtatis ſunt temporibus, ac diebus, vel quæ in abdito traduntur initiatis, moris proprii perpetuitate ſervata.* Juxta infinitum vero Deorum numerum infinita æque erant vulgaria ejuſ-

ejuſmodi Myſteria, Samochracia, Barbara, Ægyptia, Orphica, Eleuſinia, Phrygia, Mithriaca, Græca, Romana, aliaque innumera, ex Vindicibus Chriſtianæ Religionis Patribus, atque ex Eruditorum ſcriptis, præſertim Cl. Panellii, in pulcherrima ſua diſſertatione *de Ciſtophoris*, nota ſatis, & copioſiſſime explicata. *Telete* ipſa appellabantur. Erat autem *Telete*, juxta Lexicographos, vetereſque Scriptores, via quædam, & diſciplina animæ purgandæ, perficiendæque, quare per ſingulares quaſdam abſtinentias, caſtimonias, preceſque, & ſacrificia, qui Deorum initiabantur Myſteriis perficerentur, conſecrarenturque. Communi quidem acceptione ſingularem quamcumque deſignabat nomen *Telete* Religionis colendæ rationem, & ritum, quod intelligimus ex Luciano, qui in Dialogo de morte Peregrini, Chriſtum blaſphemabat Cruci ſuffixum ob inſtitutam novam Τελετὴν *Teleten*, novam nempe religionem, & qui per Gentes Τελετὰς *Teletas*, hoc eſt, Religiones inſtituerunt, finxiſſe ſe edoctos a Diis, ait Euſebius, Præparationis Evangelicæ toto prope Libro V.. Stricta ſignificatione tamen, vox ea ad denotandam uſurpabatur initiationem, conſecrationem, perfectionem ipſam, arcanum

& Myſteriorum plenum ſacrificium, complexionem demum rituum, & cæremoniarum, quas Initiati frequentabant. Cæteris purior, illuſtrior, & perfectior Teletis Theurgica habebatur, & Myſteria Teurgorum reliquis longe præſtantiora; quæ quidem, non vulgarium cultu Deorum ſed ſatius religione celebrabantur Angelorum, Archangelorum, Archontum, Poteſtatum, ac Principatuum Cœleſtium &c.; quorum implorata mediatione, & eorum viſionibus obtentis, ipſis immo auſpicibus, & inſpectoribus, conſecrari ſe Initiati credebant poſſe, eorumque ope, & auxilio uniri demque cum Diis. Theurgica hæc Myſteria illuſtraturi, rem altius arbitramur repetendam.

Primum illud quidem ponendum ducimus, Ethnicorum religionem, tametſi imperfectiſſime, & ne ulla quidem analogia, cum vera Dei religione conferendam, ſuo tamen modo ad virtutem incitare viſam eſſe; quod unus abunde evincit Lucretii locus, ubi totus in Encomiis Epicuri ſui, quod religiones ſubripere ſategiſſet, quid inde foret ut ſequeretur, Libro canebat 3.

Et

Et metus ille foras præceps Acheruntis agendus
Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo,
Omnia ſuffundens mortis nigrore; neque ullam
Eſſe voluptatem liquidam, puramque relinquit.

Communium ſaltem, ſocialiumque exercitium virtutum urgebant, religionis tamen nomine, & auctoritate, Legumlatores ipſi, Magiſtratus atque etiam Sacerdotes. Sive enim naturalem æquitatem ſibi ſequendam propoſuerint Legumlatores, ſive Leges ad Reipublicæ commodum retulerint, aut ex communi utilitate fuerint interpretati, ſive meliores haud abſolute quidem, ſed habita hominum ac temporum ratione, Leges ferre conſtituerint; intellexere tamen, fieri numquam potuiſſe, ut illæ homines in officio diu continerent, niſi eædem divinam veluti originem præſetuliſſent. Circumferebantur itaque Leges aliæ ab Jove, aliæ a Mercurio, ab Apolline, aut a Saturno aliæ, aliquæ a Minerva &c. aut inventæ, aut dictatæ, aut imperatæ Legumlatoribus fuiſſe, quaſi ea danda foret Antiquitati venia, ut humana divinis miſcendo, Urbium ſtatum faceret tutiorem. Julianus Cæſar, apud Divum Cyrillum, Libro in illum IV. ſcripſerat: *Nobis Deus Legumlatores*

res miſit, *nihilo Moyſe deteriores*. ἐπαλὶ τε καὶ ἐφ' ἡμᾶς νομοθέτας οὐδὲν Μωσέως χείρονας, εἰ μὴ τοὺς πολλοὺς μακρῷ κρείττονας. Et in Epiſtola ad Ethnicum Pontificem Galatiæ, quæ eſt LXIII. *Arbitror vero*, inquiebat, *debere nos ante omnia patrias obſervare Leges*, *quas certum eſt*, *nobis a Diis datas*; *neque enim exiſterent adeo præclaræ*, *ſi ab hominibus forent ſimpliciter profectæ*. Quæ nam autem ejuſmodi eſſent Leges idem tradit apud Divum Cyrillum Libro V his verbis: *Quæ nam Gens eſt*, *per Deos*, *ſi hæc dempſeris*; *non adorabis Deos alienos*, *&*, *memento Sabbatorum*, *quæ mandata*, *& cætera* (Decalogi) *ſervanda non putet*? *Adeo ut illa violantibus pœnæ conſtitutæ ſint*, *alibi quidem graviores*, *alibi vero ſimiles iis*, *quæ Moyſis Lege conſtitutæ ſunt*, *alicubi etiam humaniores*? Ποῖον ἔθνος ἐςὶ πρὸς τῶν Θεῶν, ἔξω τοῦ, οὐ προσκυνήσεις Θεοῖς ἑτέροις, κ. τ. λ. Non negat id Cyrillus, ſed Moyſen eſſe cæteris antiquiorem jure & merito contendit.

Ejuſmodi vero Leges ad communiorum ſaltem & naturalium acta virtutum aliquo incitabant modo, quod non civilem tantum ſed divinam æque ſecum ferre viderentur Sanctionem: nempe, quod non tam a Legumlatoribus,

bus, quam a Diis ipſis, aut eorum nomine latæ crederentur. Deorum quippe auctoritate illarum exercitium virtutum urgebant Magiſtratus, atque Sacerdotes, quemadmodum evincit ejuſdem Juliani allegata Epiſtola, in qua, tamquam Supremus Pontifex, de rebus ad Religionem, & ad mores pertinentibus verba faciens, ſcripſit: *Itaque, ut ſecundum Leges Civiles juſte vivatur, manifeſtum eſt, id Civitatum moderatoribus curæ eſſe debere. Vobis autem* (Sacerdotes alloquebatur) *ad cohortandos alios convenit, ipſas quoque Deorum, quæ ſacratæ ſunt Leges, nequaquam tranſgredi* Πρέποι δ' ἂν καὶ ὑμῖν εἰς παραίνεσιν τὸ μὴ παραβαίνειν ἱεροὺς ὄντας τῶν θεῶν τοὺς νόμους. *Scito enim magnas nobis poſt obitum ſpes a Diis immortalibus oſtendi, quibus habenda omnio fides eſt. Nam vera perpetuo loquuntur, non in rebus duntaxat ejuſmodi, ſed in iis omnibus, quæ ad hanc vitam pertinent*. In ea profecto futuræ vitæ & ſortis perſuaſione fuiſſe Gentiles teſtatur Epiphanius in Ancorato ſcribens: *Sed illud, opinor, manifeſtum eſt, animas illos non in ſepulchris, ſed certis in locis domiciliiſque collocare, quæ unicuique pro eorum, quæ in vita geſſit, ac ſuſcepit, merito tribuuntur*. ἀλλὰ δῆλον ὅτι οὐ τὰς ψυχὰς νομίζουσιν εἶναι ἐν μνήμασιν, κ. τ. λ.

Idque innumeris tum Ethnicorum, tum etiam Patrum teſtimoniis nos aliis in elucubratiunculis confirmavimus, adeo ut futuri ſtatus vitæ Ethnica magis in Hiſtoria, quam in noſtra Civili poni, præconcipi, & inculcari videatur. Subdit autem citato loco Julianus, ille profecto Heros, quem occulti Religionis Chriſtianæ hoſtes immenſis efferunt Encomiis, ſubdit, inquam, nonnihil, quod alta eos mente reponere oporteret, ſcilicet: *Valde vero conſentaneum eſt, ut Sacerdotes honorentur tamquam Deorum Miniſtri, & famuli, qui ea, quæ ad Deos pertinent nobis adminiſtrant, & ad illorum in nos derivanda beneficia momenti plurimum adferunt. Pro omnibus enim ſacrificia celebrant, & precantur. Quare non minus ipſis, immo amplius, quam Civilibus Magiſtratibus, æquum eſt honoris adhiberi. Quod ſi quis ex æquo cenſeat utriſque eſſe tribuendum, propterea quod Civiles Magiſtratus quodam veluti Sacerdotio funguntur, quatenus Legum Cuſtodes ſunt, tamen haud paullo Majore ſunt illi beneficio proſequendi*. Ideo autem Magiſtratus quodam fungi Sacerdotio ajebat Julianus, quod Legum a Diis, ut præconcipiebat, profectarum Cuſtodes eſſent.

Sa-

Sacerdotes vero non tantum Sacrificia pro omnibus offerre, & ea, quæ ad Deos pertinebant, rite adminiſtrare; verum etiam Populum ad virtutem cohortari tum exemplo, tum Concionibus, & Paræneſi conſueverant; quemadmodum præſtare ſe ajebat Julianus Cæſar, *tamquam Sacrorum patriorum Pontifex Maximus*, Ἐγὼ τοίνυν ἐπειδή περ εἰμὶ κατὰ μὲν τὰ πάτρια μέγας Ἀρχιερεύς, ut in fragmento Epiſtolæ habemus ſuæ, quæ eſt LXII. Editionis Spanhemii; utque in allegata ad Ethnicum Pontificem Epiſtola alios Cæſares, ceu Pontifices illarum ſuperſtitionum Maximos, facere ſolitos fuiſſe teſtabatur: quod obiter animadverſum velim adverſus Barbeyracum in inſana illa ad Pufendorfium Præfatione adverſus omnium miniſtros Religionum, veluti de moralis repetitione doctrinæ minime ſollicitos, ultra modum debacchantem. Ignoravit enim quod ex Plutarcho egregie oſtendit doctiſſimus Johannes Franciſcus Baltus, in Continuatione Reſponſionis ad Hiſtoriam Oraculorum Dalenii, & Fontanellæi, Parte II. Cap. XI. Pontifices nempe, & Sacerdotes Ethnicorum, honeſtiores fuiſſe Gentilium omnium mortales; & in errore quidem, ſed minus adhuc reliquis, verſatos. Porro qua-

les eſſe oporteret Gentiles Sacerdotes, quantaque morum honeſtate, gravitate, ac Sanctimonia pollere, docuit, oſtendit, & juſſit Julianus, tamquam Pontifex Maximus in Epiſtola ad Arſacium Pontificem Galatiæ, in qua hæc demum legimus: *Quamdiu Sacerdos nominatur aliquis, cultu, & honore afficiendus eſt. Sin eſt nequam, Sacerdotio mulctandus, & ubi indignus habitus fuerit abjiciendus eſt.* ἀλλὰ ἕως ἂν ἱερεὺς ὠς ὀνομάζηται τιμᾶν ἀυτὸν χρὴ καὶ θεραπεύειν, κ. τ. λ. Etiam ſi vero eam probaviſſet Barbeyracus Sacerdotum Gentilium negligentiam, nonne animadvertere ipſum oportebat, illud falſæ potius Religionis, quam Pontificum, & Miniſtrorum vitium fuiſſe? Hoc enim diſcriminis eſt, falſas inter & veram Religionem, quod in illis, Religio virtutis pars, atque una virtutum eſt; in vera Religione ex oppoſito virtutes omnes Religionis ſunt partes, & ab ea debent rite provenire. Itaque, ut qui veram prædicat Religionem, cæteras quoque prædicare virtutes debet; ita, qui falſam aliquam Religionem conſervare pergit, virtutes cæteras jam habet poſitas, & ab aliis conſtitutas, quibus propterea relinquere curam poteſt urgendi earum exercitium.

Ne-

Neque tanta adhuc tamen, qua eos Barbeyracus poſtulabat, laboravere Sacerdotes negligentia, ſed falſiſſima etiam in Religione ad virtutem eo, quo meliore credebant, modo Populum incitare ſtuduerunt, cujus exemplum rei habemus Oratione ejuſdem Juliani in Matrem Deûm; ubi propoſita falſæ illius Divinitatis, ac feſtivitatis fabula, hoc proſequebatur pacto: *His autem ſignis tacite nos, ut opinor, Dii admonent, oportere id e terra, quod eſt pulcherrimum decerpentes, cum Religione virtutem ad Deam perferre; & hoc ipſum probe, & cum laude tranſactæ vitæ indicium oſtendere. Etenim quum arbor e terra pullulet, ſurſum tamen velut in æthera conſurgit... Quamobrem Lex illa nos hortatur, qui natura cœleſtes, ſed in terram depoſiti ſumus, ut virtutem cum pietate, ex ea, quam in terris degimus, vita colligentes, ad primigeniam illam Deam, Authoremque vitæ properemus. Sane claſſicum illud, quo ſignum Attidi, poſt exciſionem, recipiendi ſui datur, idem præbet & nobis ipſis, quicumque cœlitus in terras allapſi decidimus. Secundum hæc, Rex Attis infinitam evagationem exciſione exercet ſua: & nos perinde a Diis admonemur noſtram in nobis immoderationem, infinitatemque comprimere, &*

ad

ad id, quod definitum & uniforme ſit, ac ſi fieri poteſt, unum ipſum recurrere. Quod ubi perfectum erit, ſtatim Hilaria conſequentur. Quid enim lætius, quid hilarius eſt anima illa, quæ quum infinitatem & generationem, ejuſque tempeſtatem omnem evitare potuit, tum ad Deos ipſos ſe ſe provexit? &c. Hujuſmodi allegoriis fabulas ad morum utilitatem trahere ſatagebant ſuas Gentilium Sacerdotes, dum in Deorum ſolemniis verba ad Populum faciebant. Addit Julianus, ea ſe, quæ ad Myſteriorum doctrinam ſpectabant, prætermittere, *δέονπερ αὐτὰ σιωπᾶσθαι καὶ νῦν*, ceu arcana, & occulta, ad Initiatos modo pertinentia.

Hujus imaginem rei præbere videtur etiam Apulejus, Libro Metamorphoſeon XI. ubi habitam poſtquam deſcripſerit in honorem Iſidis pompam, ita pergit: *Ac cum ad ipſum jam Templum pervenimus, Sacerdos maximus, quique divinas effigies progerebant, & qui venerandis penetralibus pridem jam fuerant initiati, intra Cubiculum Deæ recepti, diſponunt rite ſimulacra ſpirantia. Tunc ex his unus, quem cuncti Grammatea dicebant, pro foribus aſſiſtens, cætu Paſtophororum, quod ſacroſancti Collegii nomen eſt, velut in Concionem vocato, indidem de ſu-*

ſublimi ſuggeſtu, *de Libro*, *de Litteris*, *fauſta precatus*, *Principi magno*, *Senatuique*, *& Equiti*, *totique Populo Romano*, *Nauticis*, *navibus*, *quæque ſub imperio mundi noſtratis geruntur*, *renunciat ſermone*, *rituque Græcienſi ita*, ΛΑΟΙΣ ΑΦΕΣΙΣ *Quam vocem feliciter ſingulis evenire ſignavit Populi clamor inſecutus*. Ejuſmodi ex teſtimonio habitam in ſacris illis, quemadmodum appellabant, Conventibus aut ſaltem haberi ſolitam Concionem, aut parænefim, morales ad virtutes cientem, in ſuo Romanarum Græcarumque Antiquitatum Lexico infert Petrus Danetius: tametſi adluſum heic ad vota Populi ita concipi conſueta, arbitrarer.

Ipſa Ethnicorum quamvis corruptiſſima Religio in divinæ opinionem Providentiæ, & in virtutis amorem aliquo influebat modo, ſcribebat ſiquidem Plutarchus, Libro de Iſide, & Oſiride: *Vetuſtiſſimam fuiſſe a ſacrarum Profeſſoribus rerum*, *perinde atque a Legumlatoribus derivatam opinionem*, *fide firma & indelebili*, *non in ſermonibus tantum & rumoribus*, *ſed in Myſteriis*, *& Sacrificiis*, *tam Barbaris*, *quam Græcis exſtantem*, *non caſu ferri*, *& fortuna pendere Univerſum*, *ſed Divina regi Providentia*. Inde vero illa Lucretii Libro 3.

Et

Et quocumque tamen Miſeri venere, parentant,
Et nigras mactant pecudes, & manibus Divis
Inferias mittunt; multoque in rebus acerbis
Acrius, advertunt animos ad Religionem.

Ad virtutis vero pretium oſtentandum, ipſiuſque ad inſinuandum ſtudium, ſæpe ſæpius objectum Religionis ipſum collineabat; nam ut Ethnicus ille inquiebat, apud Minucium Felicem in Octavio: *Unaquæque natio Conditorem, aut Ducem inclytum, aut Reginam pudicam ſexu ſuo fortiorem, aut alicujus muneris, vel artis repertorem venerabatur, ut Civem bonæ memoriæ. Sic & defunctis præmium, & futuris dabatur exemplum.* Ipſas immo Virtutes colebant Ethnici tamquam Deas, Pietatem, Honorem, Juſtitiam, Æquitatem, Clementiam, Concordiam, Fidem, Pudicitiam præſertim Conjugalem, denique & mentem; ſive, ut Prudentiores ajebant apud Sanctum Auguſtinum Libro IV. de Civitate Dei Cap. 27. nominibus ejuſmodi ea numina venerabantur, a quibus tales largiri ſibi virtutes exoptabant. Venus Verſicordia ea dicta, quæ laſcivos puellarum animos ad caſtitatem veluti converteret. Semon autem Sancus ideo Deus Fidius appellatus, ut Fides, ac juſ-

ju-

jurandum, proxime Legum ac pœnarum metu, Civitatem regerent. Exterior ipſe cultus, pro Ethnicorum opinione, ut Johannes Gerardus Voſſius animadvertebat Libro de Philologia Chriſtiana IX. Capite 2. in eo conſtitutus eſſe credebatur, *ut quicquid ad Sacra pertineret, conduceret ad conciliandum Virtutis amorem, & corrigendos hominum mores*. Qua de re certiores nos facit Arnobius Libro contra Gentes VII. ſcribens: *In parte hac eadem illud etiam dicere Simulachrorum aſſertores ſolent, non ignoraſſe Antiquos, nihil habere Numinis ſigna, neque ullum omnino ineſſe his ſenſum: ſed propter indomitum atque imperitum Vulgus, quæ pars in Populis atque in Civitatibus maxima eſt, ſalutariter ea, conſilioque formaſſe, ut velut quadam ſpecie objecta his Numinum, abjicerent aſperitatem metu: arbitratique præſentibus ſe ſe ſub Diis agere, facta impia deponerent, & ad humana officia morum mutatione tranſirent. Nec propter aliam cauſam venerabiles formas auro eis argentoque quæſitas, niſi ut adeſſe vis quædam ipſis in fulgoribus crederetur, quæ non oculorum tantum perſtringeret ſenſum, verum etiam mentes ipſas auguſtiſſimæ lucis radiationibus territaret*. Hæc autem, tametſi Arnobio non proba-

ta,

ta, nobis manifeſtant tamen, quibuſnam ſe idoneis uti mediis crederent Sacerdotes Ethnici in moralis doctrinæ repetitione, quod ſpectabat videlicet ad Populum. Nam docti & prudentiores illud minime ignorabant, quod Plinius exprimebat in Panegyrico Trajani: *Animadverto Deos non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia & Sanctitate lætari: gratioremque exiſtimari, qui delubris eorum puram caſtamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit*. Cæterum & in eo videtur a Barbeyraco peccatum eſſe, ut moralem doctrinam non alia via tradi repetique poſſe præconceperit, quam Prædicatione; quum ex oppoſito duplicem eſſe illius explicandæ repetendæque modum non fugerit Sapientes, occultum alterum, & myſterioſum, per hieroglyphica, ænigmata, ſigna, & ſymbola, figuraſque & fabulas; ſimplicem alterum, & apertum, habita de virtutibus & vitiis Oratione. Quemadmodum autem poſtremo hoc nos utimur, & delectamur; ita priore ſolum Veteres; ut antiquis colligere eſt ex monumentis, & Petrus Daniel Huetius de Origine fabularum agens Romanenſium præ cæteris copioſiſſime oſtendit. Quod ſi Prædicationis rurſus neceſſitatem urgeas, eam non omnino

nino defuiſſe, iterum oſtendunt Lucretii illa Libro I.

Tutemet e nobis jam quovis tempore Vatum
Terriloquis victus dictis deſciſcere quæres?
Quippe etenim quam multa tibi jam fingere poſſum
Somnia, quæ vitæ rationes vertere poſſint,
Fortunaſque tuas omneis turbare timore:
Et merito: nam ſi certum finem eſſe viderent
Ærumnarum homines, aliqua ratione valerent
Religionibus, atque minis obſiſtere Vatum.

Si igitur actionum moralium præmium & pœnas prædicabant Gentilium Sacerdotes, de moribus Populorum corrigendis ſolliciti fuere. Quî enim fieri poterat, ut Elyſiorum felicitatem bene operantibus promitterent, Tartarum vero male operaturis minarentur, neque tamen de bonis, & malis actibus differerent. Declinandis vero ejuſmodi Inferorum pœnis, certiſque firmandis ſibi poſt mortem Elyſiorum ſedibus, ſexcenta in Ethnicas inducta fuere Religiones lotionum, purgationum, atque expiationum genera, & innumera Deorum Myſteria in id potiſſimum fuere inſtituta, de quibus fuſe agit Ezechiel Spanhemius, *Obſervatione ad Juliani*

ni Imperatoris Orationem I. p. 259. Purgationes ſcilicet, ut earum ope qui aliquibus erant, præcipue gravioribus, criminibus inquinati ſanarentur, neque poſt mortem in Tartarum abjicerentur; Initiationes vero, & Conſecrationes, ut ita Diis devoti, eorum Tutela perſicerentur, & ad beatam aptiores redderentur vitam. Ejuſmodi diſcrimen egregie patet ex Epiſtola Juliani LII. quæ eſt ad Boſtrenos, ubi inquit: *Sane neminem Chriſtianorum ad aras noſtras trahi invitum patimur. Quin iis aperte denunciamus: ſi quis ſponte luſtrationum, libationumque, particeps eſſe nobiſcum velit, adhibere piacula primum oportere, & averruncos exorare Deos. Tantum ab eo abſumus, ut privatim Sacrilegorum quempiam velimus umquam, aut leviſſime cogitemus in Sacrorum illorum, quæ penes nos ſunt religioſiſſima, communionem recipere, priuſquam animam ſupplicationibus ad Deos, & corpus legitimis purgationibus expiatum habeat.* Πρὶν τὴν μὲν ψυχὴν ταῖς λιτανείαις πρὸς τοὺς θεοὺς, τὸ δὲ σῶμα τοῖς νομίμοις καθαρσίοις καθήρασθαι Addit Julianus; *Eos qui Deorum Cultores eſſent, Ædilus Chriſtianorum, qui ignorantia magis, quam animi conſilio in errore verſantur, vim inferre, aut diripere non debere; quippe Oratio-*

ne

ne perſuadere, doceriqne ſatius eſt homines, quam verberibus, contumeliis, aut corporum ſuppliciis. λέγω δὲ πείθεσθαι χρὴ καὶ διδάσκεσθαι τοὺς ἀνθρώπους, οὐ πληγαῖς, οὐδὲ ὕβρισιν, οὐδὲ αἰκισμῷ τοῦ σώματος. Hæc, ut rurſus oſtendunt, Orationem & Paræneſim in Ethniciſmo uſurpatam; ita & expiationes cum initiationibus, & myſteriis non eſſe confundendas. Et ſane Socratem induxit Plato in Phædone referentem, Auctores Τελετῶν *Myſteriorum* docuiſſe, *eum, qui non initiatus, experſque ſacrorum, apud inferos perveniſſet, eumdem in cæno fore ut jaceret; ex oppoſito, qui purgatus initiatuſque in Myſteriis illuc advenisſet, eum cum Diis habitaturum.* ὅτι ὃς ἀμύητος, καὶ ἀτέλεστος εἰς ἅδου ἀφίκηται ἐν βορβόρῳ κείσεται, κ. τ. λ. quemadmodum Ariſtides æque Panachenaicho indicabat: τῶν ἀῤῥήτων τελετῶν τοῖς μετεχοῦσι, κ. τ. λ. *Eorum qui Myſteriis initiati ſunt, poſt mortem res meliores excidunt*; & Iſocrates, qui panegirica in Oratione, *Participes*, inquiebat, *Myſteriorum, & de fine vitæ, & de omni propterea ævo meliores habent ſpes, & jucundiores*; quibuſcum faciunt illa Tulii, Libro de Legibus II. ſcribentis: *Mihi cum multa eximia, divinaque videntur Athenæ tuæ peperiſſe, atque in vitam hominum attuliſſe, tum nihil melius illis Myſteriis,*

riis , quibus ex agreſti , immanique vita exculti ad humanitatem , & mitigati ſumus , Initiaque ut appellantur , ita revera principia vitæ cognovimus , neque ſolum cum lætitia vivendi rationem accepimus , ſed etiam cum ſpe meliore moriendi . Ipſe Plato , Libro de Republica II. *Teletas* docebat dictas a τελευτήσασι, *quæ nos a malis , quæ apud Inferos ſunt , liberarent* , αἳ τῶν ἐκεῖ κακῶν ἀπολύουσιν ἡμᾶς . Sunt qui Platonem de Eleuſiniis , ſunt qui de Philoſophiæ Myſteriis intelligendum arbitrentur . Verum ſatis eſt , ipſum ad vulgarem alluſiſſe opinionem .

Jam vero , tametſi ea , quæ de Gentilium Religionibus hucuſque explicata ſunt , ideo a Legumlatoribus , & Conditoribus Sacrorum inducta fuerint , ut in mores , & exercitium virtutum influerent ; negandum tamen non eſt , elongatione demum temporis , tum ſuperſtitionis ; & nimiæ corruptionis Idololatriæ vitio , tum incredibili licentia Poetarum , eo demum ſacra , & Myſteria Ethnicorum perveniſſe , ut moribus, & virtuti obeſſent potius, quam prodeſſent; inde tot illæ Sanctorum Patrum æquiſſimæ querelæ . Civili ſiquidem Theologia cum Poetica demum confuſa , & permixta, jam qui philoſophari cœperant, intelligere non poterant,

cur

cur Dii, qui Clientes ſuos virtutem colere jubebant, iidem una dicerentur, exhiberenturque tot infandis actionibus perfuncti. In perturbatione illa igitur tum eorum, quæ ad doctrinam de Diis, tum etiam eorum, quæ ad moralem pertinebant diſciplinam, maxima ſe ſe apud nonnullos proferebat neceſſitas alterius inquirendi, ſectandique medii, quo anima meliore purgaretur modo, a ſordibus liberaretur, & cum Diis uniretur. Non enim intelligere non poterant prudentiores ſaltem Ethnicorum, anguſtam eſſe innocentiam hominis ad ſolam Legem civilem, & ad illas Religiones, recti, & boni, quum aliunde numquam amiſerint Mortales cognitionem trium humanæ naturæ ſtatuum, innocentiæ illapſæ corruptionis, & reparationis alicujus; Traditione vel in obſcurioribus Idololatriæ tenebris, & imperfectioribus etiam in Sectis, conſervata; nec umquam beati eſſe non concupivere. *Purgatricibus igitur ſtudendum eſſe virtutibus docuere Græci ſemper, Barbarique omnes Sapientes*, inquit Syneſius in Dione: τὰς καθαρτικὰς ἀρετὰς σπουδάζειν παρέδοσαν Ἕλληνες σοφοί, καὶ βάρβαροι. Quumque vulgaribus illis nimium jam corruptis, immo nocentiſſimis Deorum, Dearumque Myſteriis purgationem ani-

mæ obtineri, qui ſapientiores ſibi videbantur, neque tamen philoſophari poterant, aut volebant, deſperarent, ad Theurgicas propterea Angelorum initiationes, & ad ipſorum mediationem confugiendum eſſe conſtituerunt.

Quo id vero percipiatur, perpetua, & conſtantiſſima totius humani Generis de Angelorum, Geniorumque exiſtentia, & operationibus doctrina præconcipienda eſt. Qui enim mirabilem hunc adſpectabilis Univerſi motum conſpiciebant Mortalium vetuſtiſſimi, perfecta divinæ Revelationis cognitione deſtituti, nativo intellexere ſenſu, ejus conſtantiam, & incredibilem ordinem ſervari numquam potuiſſe, niſi repetente motum, & actionem Deo, aut ipſius Adminiſtris; neque primum ſatis eſſe potuiſſe motum, qui paullatim imminutus evanuiſſet denique, ac ceſſaſſet, niſi opitulante Deo, aut ejus imperio Cœlitibus, ſive Cœleſtibus Spiritibus, ad tot mirabilia, & pulchra dirigenda conſtitutis. Quemadmodum immo terreno in regno, & imperio haud minus ſupremus Princeps, & Dominator omnium ponitur, ſed adhuc & Duces conſtituuntur, & Magiſtratus, & Judices, & Curatores, ipſique adeo Lictores, & Veſpillones; ita in hac Republica mundana

Deum

Deum ipſum ad generationem rerum, earumque ad procurationem ac tutelam Angelos locis omnibus, cœleſtibus, elementaribus, ſuperis, atque inferis, immo ſingulis hominibus Principes, ac Moderatores collocaſſe, opinione a Patriarchis derivata quidem; ſed non recte conſervata, ſtatuerunt. Hanc fuiſſe omnium fidem Gentium, & Sapientum antiquorum, patet ex eorum doctrina in Homero expreſſa, & in Heſiodo, cunctiſque prope Operibus Plutarchi; ex Juliano æque apud Divum Cyrillum, Libro contra Cæſarem illum IV. dicente: *Quin etiam videte rurſus, quæ noſtra ſententia ſit. Noſtri enim communem ajunt Opificem, omnium eſſe Parentem ac Regem; reliquas vero Gentes ab illo diſtributas Gentium Rectoribus, ac Urbium Curatoribus Diis, quorum unuſquiſque fines ſuos adminiſtrat, ut ipſi congruit.* ἀλλὰ δὴ σκοπεῖτε πρὸς αὐτὸν πάλιν τὰ παρ' ὑμῶν οἱ γὰρ ὑμέτεροι φασὶ τὸν δημιουργὸν ἁπάντων μὲν εἶναι κοινὸν πατέρα καὶ βασιλέα, νενεμῆσθαι δὲ τὰ λοιπὰ τῶν ἐθνῶν ὑπ' αὐτοῦ ἐθνάρχαις καὶ πολιούχοις θεοῖς, κ. τ. λ. Hanc omnium perſuaſionem Populorum variis fulciebant hypotheſibus Philoſophi, quum, Auguſtino monente Libro de Civitate Dei VII. Cap. 6. *Platonici, omnes Mundi partes animarum eſſe ple-*

nas exiſtimarent ; in æthere , & aere immortalium , in aqua , & terra mortalium ; a ſummo autem circuitu Cœli , uſque ad circulum Lunæ , æthereas animas eſſe aſtra , & ſtellas , eoſque cœleſtes Deos non modo intelligi eſſe , ſed etiam videri : inter Lunæ vero gyrum , & nimborum ac ventorum cacumina aereas eſſe animas , ſed eas animo , non oculis videri , & vocari Heroas , & Lares , & Genios . Hanc infra Lunam regionem duas dividebant in partes , quarum altera σκότος ἐσώτερον appellabatur , tenebræ nempe interiores , a Luna ſcilicet ad terram ; altera σκότος ἐξώτερον exteriores tenebræ , a terra videlicet uſque ad Tartarum ; quemadmodum fuſe oſtendit Vindetus in Corollario de Tartaro Apoſtoli Petri , in quem prævaricatores Angelos dejectos memorat , quod ſuo adjecit *Epiſtolico Stromateo de Vita functorum ſtatu , ex Hebræorum & Græcorum ſententiis comparatis concinnato* ; & Doduvellus in Apologia Operum philoſophicorum Ciceronis . Priori in parte tum bonorum , tum etiam malorum Legiones Angelorum habitare conſtituebant , teſte etiam Hieronymo in Caput VI. Epiſtolæ Divi Paulli ad Epheſios , ubi habet : *Hæc autem omnium Doctorum opinio eſt , quod aer iſte , qui cœlum ,*

lum, *&* *terram medius dividens*, *inane appellatur*, *plenus ſit hujuſmodi Spiritibus malis*. *Unusquiſque autem*, *juxta perverſam ſuam voluntatem*, *diverſa miniſteria ad tentandum homines*, *eiſque nocendum ſortitus eſt*. *Quomodo enim in Urbibus eos*, *qui aliquid commiſere flagitii*, *videmus vel beſtias alere*, *vel ſecare marmora*, *vel mundare ſpurcitias Cloacarum*, *vel præeſſe Gladiatoribus*, *&* *fundendo reorum ſanguini deſtinari*; *ita &* *Dæmones ex proprii arbitrii libertate*, *inſidiarum*, *fraudum*, *ſcelerum*, *atque perjurii*, *&* *reliquam vitiorum provinciam eſſe ſortitos*, *ut ſint Rectores tenebrarum*, *qui lucis Principes eſſe noluerunt*. Qui igitur ab his ſe in malum trahi patiebantur, ab eiſdem rapiebantur in Tartarum, qui vero amicos ſibi bonos Angelos habebant, quos Deos etiam appellabant, ut animadvertit Auguſtinus Libro XIX. de Civitate Dei Cap. 3. ab iſtis rapiebantur poſt mortem in aera, & in cœleſtes deferebantur ſedes felicitati animarum deſtinatas. Quo igitur amicos ſibi cœleſtes ejuſmodi ſpiritus facerent, eos colendos precibus, ac ſacrificiis duxere ii, qui vulgaria Deorum popularium Myſteria, ſpecialibus recepta in locis, tamquam corruptiſſima, populo, plebique relinquebant. Ex

ejuſmodi autem Angelorum cultu orta Theurgia eſt; aut hoc ſaltem nomine cultus Angelorum tandem appellatus. Porro quemadmodum Myſteria cætera, poſteriori præſertim Idololatriæ ætate, id quod apud Gentiles imperfectum magis, & impurum eſſet, videbantur, quare contra illa præcipue Vindices Chriſtianæ Religionis Patres facile, feliciterque declamaverint; ita ex oppoſito purior, ſimplicior, nobilior, graviorque Gentilibus videbatur Angelorum cultus, eorumque apud ſuperos mediatio: quo factum etiam eſt, ut adoleſcente Chriſtiana Religione ſapientiores Idololatriæ contra ipſam Vindices, Porphirius, Jamblichus, Proclus, Apulejus &c. ſolam, aut ſingulari propugnandam modo ſibi ſumpſerint Theurgiam, ejuſque Myſteria, ritus, ac cæremonias, tamquam ea, quæ chriſtianæ adhuc poſſent luci, ac lumini reſiſtere. Idololatricos autem ejuſmodi Apologetas, proindeque, & Angelorum mediationem, cultumque; ac Theurgiam univerſam, ſolus ratione temporis, ratione virtutis, & doctrinæ oppugnavit ingeniorum apex, Divus Auguſtinus, ut videbimus in loco.

CA-

CAPUT III.

De Origine Myſteriorum Theurgicorum.

QUamvis Ethnicarum origines ſuperſtitionum obſcuræ omnino ſint, variæque, ac propemodum ignotæ, nobiſque oppoſitas inter narrationes, & hoſtiles inter Scriptores verſantibus, incedere ſæpenumero neceſſe ſit per ignes ſuppoſitos cineri doloſo, ſatis inter Sapientes tamen convenit, Chaldæos, Aſtronomica Arte, ac Traditionibus, quas a Patriarchis acceperant, quammaxime abuſos, omnium primos mundum omnem repletum docuiſſe Spiritibus, & Angelis, & animabus, ſive Dæmonibus, qui omnia regerent, cultumque mortalium aucuparent. Illis igitur aſſerendam voluit Theurgiam Thomas Stanlejus,

lejus, qui Hiſtoriæ ſuæ Philoſophicæ Parte XIII. Cap. 18. de Chaldæorum Theurgia hæc habet: Magices Chaldaicæ altera pars fuit θεουργικὴ, Theurgica, ad quam forte alludit Plato in Alcibiadis I. quando dicit: *Magiam Zoroaſtris fuiſſe cultum Deorum*. Hanc quoque, ut ex Pſello patet, vocabant, *diſciplinam rituum*, *& opera pietatis*, & ut loquuntur Græci doctrinæ ejus Interpretes τελεστικὴν ἐπιστήμην, *diſciplinam animum purgantem*, *& perficientem*. Qua in re ſita eſſet, colligere eſt ex Suida de duobus Julianis *Julianus*, inquit, *Chaldæus Philoſophus, pater Juliani cognomento Theurgi, ſcripſit de Dæmonibus Libros quatuor. Eſt quoque apud eumdem philacterium ad unumquodque membrum, qualia ducuntur ex Teleſiurgicis, hoc eſt ritibus arcanis Chaldæorum. Julianus, ante dicti filius, ſub Marco Antonino Imperatore ſcripſit & ipſe verſibus Theurgica, Teleſtica, & Oracula, aliaque quæcumque ſunt hujus artis arcana*. Teleſticæ igitur diſciplinæ opera, adhibitis certis ritibus, putabant Chaldæi Angelos in hominum colloquium venire. Τελεστικὴ ἐπιστήμη, inquit Pſellus in Oracul. pag. 45. ἐστὶν ἡ οἷον τὴν ψυχὴν, διὰ τῆς τῶν ἐνθάδ' ὑλικῶν δυνάμεων, κ. τ. λ. *Teleſtica diſciplina eſt quæ perficit mentem quan-*

tum

tum poteſt, per potentiam materialium, quæ heic ſunt. Nequit enim ratio per ſeipſam ad ſublimiorem contemplationem ſe ſe efferre, & ad intellectionem Numinis. Sermo verus pietatis, Chriſtiana ſcilicet Religio mentem manuducit ad Deum, ope Revelationum illic emiſſarum; Chaldæus vero per ſcientiam teleſticam. Et Plato quidem ratione & intellectu ingenitam eſſentiam intelligi poſſe ſtatuebat. Verum Chaldæus dicit, nos non aliter ad Deum efferri poſſe, niſi animæ vehiculum conſecratis ritibus firmemus. Erant ſcilicet Chaldæis ἔργα εὐσεβείας αἱ τῶν Τελεστῶν μέθοδοι *opera pietatis rationes ſacrorum faciendorum.* Hucuſque ex Pſello Stanlejus.

Enim vero pergit hic Auctor, ac Theurgicum Chaldæorum cultum Capite XXIII. ad tres fuiſſe docet relatum partes, primam, ad cultum Dei, ſed ritibus Idololatricis, cujus exemplum rei eſſe nobis videtur poſſe Balaamus, qui Theurgicis ritibus Deum ſummum adorabat, ut in Tractatu de Altaribus vero ſacris Deo oſtendit Clariſſimus *Fontenu*; alteram, ad cœleſtium cultum Corporum, ac Elementorum. Scriptor ſiquidem Chaldaici Summarii teſtatus eſt, a Chaldæis agnitum fuiſſe *omnium rerum Principium, idque unum, & bonum*. Hoc uno, & bono

bono Principio intellectum ab ipſis fuiſſe verum Deum, ad quem hæc ſola pertinent attributa colligere eſt ex Euſebio, Libro præparationis Evangelicæ IV. Cap. 3. ſcribente, Zoroaſtris diſcipulos agnoviſſe *Deum omnium Parentem, & Regem*. Hinc Porphyrius *de Oraculis* ait: τὴν δὲ ἑυρεσιν ὁ θεὸς Αἰγυπτίοις ἐμαρτύρησε φοίνιξί τε καὶ Χαλδαίοις, Λυδοῖς τε καὶ Ἑβραίοις. *Veræ viæ repertores Deus* (Apollo ſcilicet) *eſſe teſtatur Ægyptios Phœnices, Chaldæos, Lydos, & Hebræos*, & Paræneticus ad Græcos inter Juſtini Opera hoc citat Oraculum:

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίην λάχον ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι,
Αὐτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς.

Soli Chaldai ſapiunt, & Hebræa virûm gens
Qui puro haud genitum venerantur pectore numen.

Quare, & Delphicum Oraculum a Porphirio allatum, apud Divum Auguſtinum, Libro de Civitate Dei XIX. Cap. 23. Chaldæos cum Hebræis confert, ac jungit; quod tamen Oraculum etiamſi dixerit, ab utriſque σεβαστὸν Θεὸν ἁγνῶς, *Deum fuiſſe caſte, ac pure adoratum*; dubium

bium eſſe tamen vix poteſt, quin Chaldaicus cultus fuerit Idololatricus, & quin Chaldæis aptari potuerit quod Apoſtolus de Romanis ſapientibus dicebat, quod quum Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificavere, ſed incorruptibilis gloriam Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis immutaverunt.

Tertia Chaldaici cultus pars Angelos reſpiciebat, quibus Chaldæi nova etiam indidere nomina, quoſque varias in claſſes diſtinxere. Animadvertit enim ex Damaſcio Thomas Galæus ſuis in Jamblichum Adnotationibus, Sectione II. Cap. 3. hunc ordinem θείων γενῶν fuiſſe juxta Chaldæos: οἱ νοεροὶ θεοὶ, οἱ ὑπεράρχιοι, οἱ ἀρχικοὶ, οἱ ἀρχαγγελικοὶ, οἱ ἄζωνοι, οἱ ζωναῖοι; quas videlicet ſive claſſes, ſive nomina Jamblicus ſequutus eſt in Libro *de Myſteriis*, in quo univerſam explicavit Theurgiam. Nomina porro *Poteſtatum, Dominationum, Principatuum*, quibus in Epiſtola ad Epheſios Cap. 6. utitur Paullus diverſis Angelorum Claſſibus ſignificandis Judæos ex Chaldæis hauſiſſe, atque ex Babylonica Captivitate reportaſſe exiſtimavit Hugo Grotius ad Caput XVIII. Matthæi, & in allegatam ad Epheſios Epiſtolam; nec non Baſnagius lib. 4. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Cap. 9. Illud autem Grotii

tii judicium confirmatum iri citato loco ſubjicit Galæus ex Zoroaſtris, & Oſtanis locis apud Auctorem Arithmetricæ Theologiæ, ſi de fide iſtorum ἱερῶν λόγων nobis conſtaret. Mirum nobis tamen eſt, Galæum Grotii judicium laudaſſe, ſimulque, paucis interjectis, hæc addidiſſe: *Paullus conjunctim ponit ἀρχάς, ἐξουσίας, κοσμοκράτορας, nomina ab Hæreticis, & Philoſophis venditata, & quidem intelligit Poteſtates adverſarias. Videant igitur, nequid errent, qui eadem vocabula ad cœleſtes Poteſtates transferunt. Mihi quidem videtur Paullus, non tam ponere, & affirmare iſthæc, quam oblique, & ex Hæreticorum ſermonibus accepta inducere.* Pace tamen tanti Viri, haud videntur hæc cum ſuperioribus ſatis cohærere, ſiquidem, ſi nomina ejuſmodi ad Chaldaicam, ut Galæus ipſe docuerat, pertinebant Theologiam; ſique Judæi jam olim ex Chaldæis ea hauſerant, cur ex vix natis, vixque notis Hæreticis, aut ex Philoſophis, qui diu poſtmodum Theurgiam vindicantes ea uſurpavere, talia nomina Paullus derivaſſet?

Utique, dum Apoſtolus ad Epheſios Cap. 6. ſcripſit, colluctari nos oportere non tantum

ad-

adverſus carnem & ſanguinem, ſed etiam adverſus Principes, & Poteſtates, adverſus mundi Rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in Cœleſtibus, tunc de adverſariis loquebatur Poteſtatibus; quemadmodum etiam ubi ad Epheſios II. inquit: *Et vos cum eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis, ſecundum ſæculum mundi hujus, ſecundum Principem poteſtatis aeris hujus &c.* Similiter de adverſariis loquutus eſt Poteſtatibus in I. ad Corinthios Epiſtola Cap. 15. de Chriſto ſcribens: *Cum evacuaverit omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem*; quod & apud Apoſtolum Petrum legimus, Epiſtola ſua I. Cap. 3. inquientem; *Profectus in cœlum ſubjectis ſibi Angelis, & Poteſtatibus, & Virtutibus*. Verum, præterquamquod neque ejuſmodi in locis oblique tantum, & ex ſermonibus Hæreticorum imaginari poſſumus loquutum Apoſtolum fuiſſe, quum varios malorum Angelorum ordines a Chriſto triumphatos juxta concipiendi loquendique morem ac modum Chriſtianorum, revera tunc docuerit; adverſariis adhuc de Poteſtatibus non loquebatur in Epiſtola ad Coloſſenſes Cap. 1. ubi de Chriſto inquiebat: *quoniam in ipſo condita ſunt univerſa*,

verſa, *in cœlis*, *& in terra*, *viſibilia*, *& inviſibilia*, *ſive Throni*, *ſive Dominationes*, *ſive Poteſtates*. Quum enim his verbis non fiat ſermo de ſpirituali adoptione, aut gratia, & gloria, Angelis & hominibus propter Chriſtum conceſſa, ut Socinianis placet, ſed de Angelorum, hominumque & rerum omnium, per Chriſtum, Dei verbum creatione, ut non modo Sancti Patres, atque exegetæ Orthodoxi, ſed Proteſtantes æque contra Socinianum errorem invictiſſime evincunt; ſequitur, vix creatis Angelis ea Paullum nomina indidiſſe, proindeque adhuc bonis; quemadmodum & ejuſdem Epiſtolæ Cap. 2. ubi de Salvatore noſtro iterum inquit: *Quia in ipſo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, *& eſtis in illo repleti*, *qui eſt Caput omnis Principatus & Poteſtatis*; quod ex Apoſtolo Juda colligitur pariter ſua in Epiſtola ſcribente: *Angelos vero qui non ſervaverunt ſuum Principatum*, τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, nempe, non tam originis, quam ordinis ſui dignitatem. Divus tandem Petrus Epiſtola II. Cap. 2. eos memorans, qui δόξας οὐ τρέμουσι βλασφημοῦντες *Glorias* dum non metuerent, blaſphemarent, illo nomine Angelos denotaſſe bonos creditus a nonnullis eſt, propterea patet, nomina illa

illa non tam adverſariis, & ex Hæreticorum phraſi, verum etiam ex phraſi Judæorum, & Chriſtianorum, beneficis & Cœleſtibus conveniſſe quoque Poteſtatibus. Id vero magis adeo, quia, ut rectiſſimè animadvertit Grotius Annotatis in Epiſtolam ad Epheſios Cap. 6 *Eadem graduum nomina uſurpantur de Dæmonibus, quæ de Angelis: nam & Satanæ imperium ordine conſtat*. Quod ex collatis inter ſe ſe Evangeliorum & Paulli teſtimoniis confirmat; proindeque ex eo quod Hæretici, & Philoſophi Theurgizantes, nomina Angelorum illa uſurpaverint, inferre non debebat Galæus, Apoſtolum ex illis eadem traxiſſe; ſed potius ex eo quod a Chaldæis in Judæos derivata eſſent, ideo illis uſos fuiſſe maxime Theurgizantes Philoſophos, atque Heterodoxos, quod Theurgica Theologia & Diſciplina a Chaldaica Diſciplina & Theologia proceſſerit; quum revera de Chaldaicis ritibus, deque cultu Angelorum, eorumque viſionibus, & apparitionibus ea ex Pſello adferat Stanlejus, quæ ex Jamblicho Galæus habet de moribus ſacris, ac Theologica doctrina Theurgorum.

Chaldæos autem vetuſtiſſimos, quemadmodum doctrinas, ita & cæremonias etiam

ſuas, neque tradidiſſe, neque Græcorum more olim propagaſſe, oſtenderat Stanlejus Parte XIII. citati Operis, ſed eas, more Veterum in cæteris etiam artibus, intra certas continuiſſe familias, quæ id nominis peculiari obtinebant ju ε, ſuamque intra ſe adſervabant πατραπαραδόων a Patribus traditam Eruditionem, & rationem colendorum Angelorum, & Spirituum. Ejuſmodi propterea de Chaldæis intelligendum Laertium, ubi ſcripſit in Proemio: *Perſis Magos, & Aſſyriis Chaldæos, auctores Sapientiæ fuiſſe*; & eodem reſpexiſſe Heſychium arbitratur Anglus Scriptor, Χαλδαίυς *Chaldæos* interpretantem: γένός Μαγῶν πάντα γινωσκόντων, *Genus Magorum diſciplinarum omnium peritum*; neque animadverſione carere debet, quod Pauſanias ſcribit in Meſſenicis, ſive Libro IV. *Enim vero primos omnium Chaldæos, & Indorum Magos memoriæ prodidiſſe novi, eſſe hominum animos immortales. Aſſenſi deinde ſunt eis tum alii Græcorum, tum Ariſtonis filius, Plato.* Sed ut cetera omittamus, illud adjiciemus modo, quod Stanlejus animadvertit in Proemio ad Oracula Chaldaica, præcipuas nempe Chaldaicæ ſuperſtitionis reliquias Oraculis contineri, quæ hodieque Zoroaſtris ſub nomine circumferun-

ruptur, eaque Oracula tali fuiſſe titulo inſcripta, non metaphorice, & ad excellentiam eorum denotandam; ſed magis quia vera Oraculi Reſponſa habita ſint; teſtatur ſiquidem Stephanus de *Urbibus*, in voce Χαλδαῖος *Chaldæos Oraculum habuiſſe, quod apud Barbaros fuit, quemadmodum Delphenſe apud Græcos*. μαντεῖον ἔχειν αὐτοὺς παρὰ βαρβάροις, ὡς Δελφοὶ παρ' Ἕλλησι. Quod confirmari ex eo Stanlejus retur, quod Platonici reverenter admodum Chaldaicis de Oraculis ſenſerint, ac loquuti fuerint; Proclo in Timænm afferente, Chaldaicam Theologiam fuiſſe a Deo revelatam. Galæus quoque in Adnotationibus ad Librum Jamblichi *De Myſteriis*, Sectione I. de precibus agens, deque verbis, quibus Theurgi liberationem & purgationem animæ perficiebant, eas contineri ajebat, docerique Oraculis Chaldaicis, ſive in Chaldaica Myſtagogia, quam Proclus θεοπαράδοτον a Deo traditam appellabat: Platonem quidem, & Ariſtotelem ea Oracula maximam partem pro veris admiſiſſe, ſed Plotinum, Porphyrium, Jamblichum, Lyrianum, Proclum, Simplicium, ceteroſque Theurgiæ Vindices Philoſophos, ea divinis habere pro Reſponſis in univerſum viſos eſſe.

Habemus jam vero Theurgicorum originem Myſteriorum a Chaldæis derivatam, quamvis Deorum videndorum rationes & vias ab antiquiſſimis quoque Sacerdotibus Ægyptiis traditas fuiſſe, negari non poſſit. Manecho quippe, apud Joſephum Flavium Libro contra Apionem I. Amenophen, & Orum Reges Θεοπτείας operam dediſſe prodit. Immo Diodorus Siculus Libro I. ſcribit, Belum Coloniam ex Ægypto ad Euphratem deduxiſſe, Sacerdotes oneribus immunes, ad morem Ægyptiorum inſtituiſſe. Hos a Babyloniis appellatos fuiſſe *Chaldæos*. Etſi vero Suidas primum apud Græcos Myſteriorum inventorem fuiſſe ſcripſerit Orpheum, ὡς Ὀρφεὺς Θρᾷξ πρῶτος ἐπεχνολόγησε τὰ ἑλλήνων μυστήρια; cæremonias tamen ejuſmodi, per quas Τελέωσις purgatio animæ ſperabatur, ope præſertim, ac mediatione Spirituum, & Angelorum, a Chaldæis per Orphea ad Græcos primum tranſiiſſe, & ex Orphicis Myſteriis Teletas Pythagoricas excogitatas, ex Diodoro Siculo, Olympiodoro, & Scholiaſte Ariſtophanis *in Zanos*, adnotavit Galæus in Jamblichum Capite V. Sectione 5 Cæterum ſi Jamblichum ipſum, Porphyrium, & Laertium attente legimus, reperiemus, Pythagoram ipſis a Chaldæis

dæis Theurgica Myſteria didiciſſe. Scribit enim de Pythagora, in ipſius vita Laertius: *Patriam relinquens cunctis fære Græcis, Barbariſque Myſteriis initiatus eſt. Denique Ægyptum petiit, atque apud Ægyptios converſatus eſt, & Magos.* Πάσας γὰρ ἐμυήθη τὰς Ἑλληνικὰς καὶ βαρβαρικὰς Τελετὰς, κ. τ. λ. quod idem teſtatur Auctor Θεολογουμένων τῆς ἀριθμητικῆς. Sed clare magis Jamblichus in Vita pariter Pythagoræ: *Ajunt vero Pythagoram compoſitam quamdam rerum divinarum Philoſophiam, Deorumque cultum inſtituiſſe: quum quædam didiciſſet ab Orphicis, quædam a Sacerdotibus Ægyptiis, alia a Chaldæis, & Magis, nonnulla ex Initiis, quæ fiunt Eleuſine, in Imbro, in Samothracia, & Delo, aliqua porro etiam ex iis, quibus Celtæ & Iberi communiter utebantur.* ἔτι δέ φασὶ καὶ συνθέντα αὐτὸν ποιῆσαι τὴν θείαν φιλοσοφίαν, καὶ θεραπείαν· ἃν μὲν μαθόντα παρὰ τῶν Ὀρφικῶν κ. τ. λ. Sed clariſſime ante Jamblichum Porphyrius ſcripſerat in Pythagoræ ejuſdem vita: *Pythagoras ad Ægyptios quoque, & Arabes, Chaldæos, & Hebræos acceſſit, apud quos & ſomniorum interpretandorum ſcientiæ accuratiſſime operam dedit; tum divinatione, quæ fit thure, primus ipſe uſus eſt. Et in Ægypto quidem cum Sacerdotibus vixit, ac Sapientiam & linguam*

 Ægyp-

Ægyptiorum perdidicit, atque triplex litterarum genus, Epiſtolicum ſcilicet, hieroglyphicum, & ſymbolicum. Tum etiam de Diis accuratiorem, perfectioremque quamdam doctrinam hauſit. In Arabia cum Rege verſabatur. Babylone cum aliis Chaldæis vixit, tum Zabratum quoque frequentavit, cujus ope a prioris vitæ ſordibus expurgatus fuit, & quibus rebus homini ſerio abſtinendum didicit. ἔν τε Βαβυλῶνι τοῖς τ' ἄλλοις Χαλδαίοις συνεγίνετο, καὶ πρὸς Ζάβρατον ἀφίκετο, παρ' ὃ καὶ ἐκαθάρθη τὰ τοῦ προτέρου βίου λύματα, καὶ ἐδιδάχθη ἀφ' ὧν ἁγνεύειν προσήκει τοὺς σπουδαίους. Hunc ad locum ita in Adnotationibus ſcribit Lucas Holſtenius: *Ab hoc Chaldæo Pythagoram didiciſſe exiſtimo* τοὺς τελεστικοὺς καθαρμοὺς, καὶ τὴν ἱερατικὴν ἀναγωγὴν τῆς ψυχῆς, *Theurgicas purgationes, & aſcenſum animæ ad Deum, per cæremonias Myſteriorum, de quibus Hierocles agit ad aureum carmen.* Quo cum conſonat Conradus Rittershuſius, eumdem in locum habens: *Zabratum conjicimus Sacerdotem quemdam Babylonicum fuiſſe, qui Pythagoram initiaverit Sacris, & inſtituerit.* Et certe ex poſtremo hoc teſtimonio patet, Pythagoram aliis a Sacerdotibus ſomniorum interpretandorum, & divinationis ſcientiam, ab aliis diverſarum genus litterarum, adcuratiorem ab aliis

per

perfectioremque divina de Natura cognitionem; ſed ſolum a Sacerdotibus Chaldæis rationem animæ Theurgica per Myſteria purgandæ, uniendæque cum Deo. Ex converſatione illa vero cum Sacerdotibus Chaldæis, dici vix poteſt, quantus Τελετῶν *Myſteriorum* inſtitutor ipſe evaſerit Pythagoras, ut Vindetus animadvertit in *Epiſtolico de Vita functorum Statu Stromateo*, *Sectione V*. quamvis impervium omnino ſit definire quid Teletæ illæ eſſent; tum quod ænigmaticus nimium fuerit, & ſymbolicus Præceptor, Pythagoras; tum etiam quod Philoſophi præſertim Pythagoræi Myſteria ſua occultaverint. Sermones quippe Pythagoræis de Diis λόγοι erant ἀπόῤῥητοι, quemadmodum in Platonem ſcribebat Proclus. Verum interim ac Theurgicum cum Diis, ac bonis Angelis commercium niſi Chaldaicæ artis ope obtineri non poſſe credebatur. Illi namque, qui Soſipatram, tanta divinandi arte præditam inſtituiſſe ferebantur, *Chaldaica ſe in Secta initiatos eſſe prodidere*, περιέφηναν εἶναι τῆς Χαλδαϊκῆς καλυμένης σοφίας οὐκ ἀμυήτοι, ut Eunapius teſtabatur in Vita Edeſii. Sed & Marinus, in Vita Procli Cap. 28. de illo ſcripſit: *Præterea quoque Philoſophus Chaldaicis luſtrationibus rite atque ordine purgatus, lucidis*

Hecates phaſmatis ipſe Epoptes interfuit. Πρός δὲ τούτων ἐν πεῖρᾳ ὁ Φιλόσοφος τοῖς Χαλδαικοῖς καθαρμοῖς καθαιρόμενος, φάσμασι μὲν ἑκατικοῖς φωτοειδέσιν αὐτοπτούμενος. Divus autem Auguſtinus Libro X. de Civitate Dei recentiores adverſus Platonicos Theurgiæ Vindices diſputans, hæc Capite 27. contra Theurgizantem Apulejum habet: *Tu autem didiciſti hoc, non a Platone, ſed a Chaldæis Magiſtris tuis, ut in æthereas, vel empyreas mundi ſublimitates, & firmamenta cæleſtia extolleres vitia humana, ut poſſent Dii veſtri Theurgis prænunciare divina*. Capite vero ejuſdem Libri 32. Porphyrio Theurgiam æque propugnanti objicit *Inductionem Chaldæorum*, ut videbimus in loco. Satis tamen in præſens ſit, ea adjicere, quæ de Juliani Cæſaris Theurgia, tamquam Chaldaica de arte animadvertit Ezechiel Spanhemius, ſua in Præfatione ad Opera illius Philoſophi Apoſtatæ: *Inciderat tunc illa ætas in Viros, qui Gentilium Sacris mordicus impugnandis intenti, trita philoſophandi via, ut vulgari, nec in eam rem ſatis valida, relicta, ſublimiorem longe & magis arcanam, tamquam inſtituto illi longe opportuniorem, ſectari, & profiteri inceperunt. Quam in rem, præviis Theurgicis quibuſdam Sacris, & my-*

myſticis purgationibus , accedente nonnulla ſilentii Religione , abditam illam rerum divinarum & humanarum Scientiam Profanis vulgo incognitam , Diſcipulis demum ſuis , & Alumnis interioribus recludebant . Heinc θειασμοὺς, *ſive divinos adflatus præſeferentes , ſeque in Deorum conſilium & contubernium , ut de illis ea ætate ſapientiæ hujus ſublimioris Conſultis loquitur Gentilis ipſe Eunapius in Ædeſio , receptos , fidem iidem ſibi , ac venerationem apud incautos , vel imperitos , vel ſuperſtitioſos , & a fide Chriſtiana averſos , facile aucupabantur . Ejus ſcientiæ , ſive divinationis cujuſdam , & occultioris Philoſophiæ Princeps eo tum ævo inclaruerat Chalcidenſis Jamblichus , cujus* θειασμοὺς, *ſive adflatus ei peculiares tradit in ejus Vita idem Sardianus .* Ejuſmodi in deliramenta lapſum fuiſſe Julianum oſtendere pergit Spanhemius ; ſiquidem , ut ex Cæſaris illius Epiſtolis , & ſcriptis patet , ab ipſo ſumma cum veneratione appellabantur μυστικαὶ ὑποθέσεις *myſticæ hypotheſes ad purgationem & liberationem animi ducentes* , & ἀῤῥήτου μυσταγωγίας ineffabilis Myſtagogiæ dogmata , *quæ tamen a Chaldæis hauſerat ; quæque in Vulgus quidem ignota , beatis autem Theurgis illis ſolis cognita cenſebat* , ut heic proſequitur Spanhemius ; qua-

re

re ſola in Theurgia, ἐν θεουργίᾳ τελεσθέντα; ſive ex arcanis illis & effectricibus cæremoniis purgationem demum, ac perfectionem animi, & ipſius unionem cum Deo indeptum iri gloriarentur. Chaldaica erant igitur Theurgica illa Myſteria, quibus initiatus eſt Julianus: Chaldaica, quibus initiatus eſt Proclus: Chaldaicam æque fuiſſe myſtagogiam illam, quæ in Angelorum præcipue verſabatur cultu, pluribus docet in locis Hipponenſis Pater: Chaldaicam eam, quam Apulejus, Jamblichus, Porphyrius, Hierocles, ceterique recentiores Platonici ſibi ſumpſere vindicandam; quamque Hieratici, ſive ſingulares quidam Sacerdotes Ethnicorum, ut oſtenſum tandem erit, exercebant.

CA-

CAPUT IV.

De Theurgicorum Myſteriorum fine.

Quamvis jam a nobis animadverſum ſit, Myſteria ac *Teletas*, pro Gentilium opinione, nil aliud fuiſſe, quam initiationes, conſecrationes, & cæremonias, quibus animos a labe purgari, liberarique, immo & perfici credebant; Theurgicas vero operationes cæteris, ut rebantur, puriores, & perfectiores, Angelorum ope ac mediatione fuiſſe conſtitutas, quibus nempe auſpicibus, & inſpectoribus Initiati ad unionem veluti perducerentur cum Deo; quia Theurgicæ ejuſmodi tamen Teletæ aliquando a Sanctis Patribus, aliiſque ab Eccleſiaſticis Scriptoribus, fuere non ſemel magicis cum artibus confuſæ, propterea quo-

quonam ſenſu id verum fuerit, ac intelligere oporteat, paucis explicandum eſt. Huic autem præſtando non enumerabimus omnia Magiæ genera, quorum alphabeticum Catalogum plurimos poſt Scriptores contexuit Fabricius in ſua *Bibliotheca Antiquaria*; ſed ſatis primum erit animadvertere, Theurgiam a Magia, Ethnicorum opinione, fuiſſe diverſiſſimam; quod etiam monitum Cl. *Bonamy*, doctiſſimoque *d'Artigny*, aliis etiam non paucis, poſt celeberrimum Naudæum, in Apologia præſtantium Virorum, Magiæ perperam poſtulatorum Capite XI. ubi de Numa agit Pompilio. Rex ille ſiquidem, quo novi Populi feroces mitigaret animos, & a rebus bellicis ad ſtudia pacis avocaret, ritus & cæremonias, novamque induxit colendorum Numinum rationem, nullum maleficis cum artibus habentem nexum; quemadmodum fuiſſe æque credebant Gentiles Theurgiam, mediantibus Angelis, Geniiſque frequentatam.

Infinita revera ſunt veterum Ethnicorum teſtimonia diſcrimen juxta ipſos maximum inter Theurgiam, & Magiam, quam Goetiam appellabant, oſtendentia. Goetiam ſiquidem, veram ſcilicet, ac propriam Magiam, invocatione

tione malorum ſpirituum, aut mortuorum, præpoſterum in finem fieri conſtituebant, ut inquiebat Suidas; eratque Goetia, quemadmodum monebat Nicephorus Scholiis in Syneſium, ratio quoſdam materiæ immixtos, impuros, & maleficos Dæmones advocandi, nomine ducto ἀπὸ τῶν γόων, hoc eſt, a fletibus, quaſi luctu digna faceret. Deos autem magicos ab Ethnicis habitos tamquam impios, noxios, everſores, veteribus ex monumentis oſtendit Gottfridus Olearius ad Librum VIII. Philoſtrati de Vita Apollonii, Cap. 9. Ex oppoſito Theurgiam bonos tantum Angelos, Archangelos, Principes, Poteſtates, Deoſque reſpicere communi conſenſione Hieratici ac Theurgizantes Philoſophi prædicabant; quare quod Jamblichus Sectione IV. Cap. 3. *de Myſteriis*, ἱερατικὴν vocat ἀπειργασίαν, Plotinus γοητείαν appellat, ſed honeſtam, Ennead IV. Cap. 40. ἡ ἀληθινὴ μαγία, ἡ ἐν παντὶ φιλία, κ. τ. λ. & Abammon, Theurgus ille Sacerdos, qui Theurgica vindicans Myſteria inducitur a Jamblicho Sectione III. Cap. 28. Idola, figuraſque omnes rejicit, ſicut & quodcumque veram ad Magiam ſpectare poterat, in anterioribus Capitibus.

Vera profecto Magia erat quam maxime in-

infamis apud Ethnicos prudentiores. Legis XII. Tabularum contra Magos meminere Seneca Libro III. Naturalium quæſtionum Cap. 7. Plinius Libro XXVIII. Hiſtoriæ Naturalis Cap. 2. Apulejus in Apologia. Tiberium Cæſarem ſeveras contra Magos ſanxiſſe Leges teſtantur Dio Libro LVII. Plinius Libro XXXIX. Cap. 1., & Tacitus Libro Annalium II. memorat edita de Mathematicis, & Magis Italia pellendis Senatus Conſulta; quo cum facit Tertullianus, Libro de Idololatria ſcribens: *Expelluntur Mathematici ſicut Angeli eorum. Urbs & Italia interdicitur Mathematicis, ſicut Angelis eorum.* Divus autem Auguſtinus Libro de Civitate Dei VIII. Cap. 19. ſcripſit: *Porro adverſus Magicas artes ipſam publicam lucem teſtem citabo. Cur enim tam graviter iſta plectuntur ſeveritate legum? An forte iſtas Leges Chriſtiani inſtituerunt, quibus artes Magicæ puniuntur? Nonne in XII. Tabulis, ideſt, Romanorum antiquiſſimis Legibus, Cicero commemorat eſſe conſcriptum, ut ei, qui hoc fecerit, judicium ſit conſtitutum? Poſtremo ipſe Apulejus numquid apud Judices Chriſtianos de Magicis artibus accuſatus eſt?* Romanis revera legibus plurimi fuerant Magiæ poſtulati, velut Apollonius Tyanæus apud

apud Domitianum Cæſarem , & citatus Apulejus apud Claudium Maximum non Chriſtianum . Narrat immo Philoſtratus in Vita Apollonii Thianæi , Sacerdotes Cereris Eleuſiniæ , proteſtatos fuiſſe , numquam commiſſuros ſe , ut in Myſteriis illis initiari Apollonius poſſet , cauſſamque adferebant , *quod Præſtigiator foret , neque in iis , quæ ad Religionem pertinebant purus eſſet ; primam ſiquidem partem, qua homines initiarentur , oportere eſſe* χαθαρμὸν *purgationem ; nam ut in virtutibus primæ ſunt eæ , quibus animus purgatur ; & labes , quas contraxit , abſterguntur , ita in Myſteriis primum purgari neceſſe fuiſſe; proptereaque eos, qui manifeſtis laborant vitiis , a Myſteriis arcendos .* Si ita de Præſtigiatoribus , ac Maleficis cogitabant Cereris Sacerdotes : quanto magis a vera magia alienos fuiſſe ſtatuamus oportet Theurgos , qui puriora & Angelica Myſteria jactabant ? Nam de precibus ſi loquimur teſtabatur Theurgus Sacerdos apud Jamblichum *de Myſteriis Sectione VI. Cap. 7. Apud Chaldæos diſtinctam & puram eſſe ad ſolos Deos* , hoc eſt , ad ſolos bonos Angelos , *orationem* ; παρὰ Χαλδαίοις, παρ' οἷς διακέκριται καθαρὸς ὁ πρὸς μόνους τοὺς θεοὺς λόγος, οὐδαμοῦ ἀπειλὴ λέγεται , *nuſquam vero mentionem*

fieri

fieri minarum, quemadmodum apud Magos. Myſteriorum vero ordinem, & finem, ut rebatur, innocuum immo verendum & ſacrum, explicaverat Theurgus idem Sacerdos Sectione I. Cap. XI. his verbis: *Eorum, quæ Theurgis in Sacris aſſidue fiunt, quædam arcanam, omnique ſermone ſuperiorem cauſam habent; quædam autem ab æterno melioribus generibus conſecrata fuere, tamquam Symbola: quædam in nobis quod ſit utile operantur, vel purgando, vel ſolvendo humanas in nobis paſſiones, vel aliquid ex illis malis, quæ nobis accidere ſolent averruncando*. Theurgicis autem explicatis Sacrificiis, ita proſequitur: *Hæc igitur, ut vides, offeruntur Diis, ut ſanetur anima noſtra, ut tolerabiliora habeat mala, quæ ei per geneſim adnaſcuntur, ut ſolvatur, liberetúrque a vinculis ſuis. Quocirca Heraclitus Sacrificia Theurgicis in Myſteriis uſurpata vocavit medicamina, ut quæ medeantur malis noſtris, & animas a calamitatibus immunes efficiant*. Θεραπείας ὅσων ἕνεκα τῆς ἐν ἡμῖν ψυχῆς, κ. τ. λ. maxime vero, ut ope & auxilio Angelorum Initiati ac Theurgi unirentur cum Diis, quæ ſuo erunt loco explicanda. Jam vero inſana erant iſta quidem omnia, ſed a Magorum, & maleficis ab artibus, quam maxime aliena.

In-

Ingerere aliquam difficultatem poſſet id, quod ſuperiore Capite ſtatuimus, Theurgiam nempe ortum Chaldæis ſuum debuiſſe; Chaldæos autem non ab Eccleſiaſticis modo, ſed profanis etiam a Scriptoribus veræ propriæque Magiæ fuiſſe poſtulatos. Cicero quippe Oratione pro Murena inquiebat: *Poſſet agi Lege, nec ne, pauci quondam ſciebant. Faſtos enim vulgo non habebant. Erant enim in magna potentia qui conſulebantur: a quibus etiam dies, tamquam a Chaldæis, petebantur*. Aullus Gellius Chaldæos, & Genechliacos eodem habebat loco, Libro XIV Noctium Atticarum ſcribens: *Adverſus iſtos, qui ſe ſe Chaldæos, ſeu Genethliacos appellant, & de motu, deque poſitu ſtellarum dicere poſſe, quæ futura ſunt, profitentur*. Tertullianus Libro de Idololatria: *Poſt Evangelium nuſquam invenies aut Sophiſtas, aut Chaldæos, aut Incantatores, aut Conjectores, aut Magos, niſi plane punitos*. Ut ſimilia omittamus, quæ tamen Sapientem neminem movebunt. Nam etiamſi inanibus ac maleficis artibus addictos tum Eccleſiaſtici, tum etiam profani Scriptores nomine Chaldæorum appellaverint, haud confundendi hi tamen cum antiquiſſimis Chaldæis Sapientibus, qui idololattico

cultu verum Deum, cœleſtiaque corpora, & Angelos adoravere. Non iiſdem ſemper hominum & Sapientum claſſibus fuit nomen ejuſmodi accomodatum. Caſtris Perſarum ad Babylonem poſitis, ſomnium Darii ſcribit Curtius Libro III. *Chaldæos interpretatos*, nulla magicarum artium adjecta mentione. Exercitum autem dum luſtraret ille Rex, *ordo agminis erat talis*, proſequitur Curtius, *Ignis quem Perſæ ſacrum & æternum vocabant, argenteis altaribus præferebatur. Magi proximi patrium carmen canebant*. Babylonem demum procedenti Alexandro, ſcribit Hiſtoricus Libro IV. occurrerunt *Magi ſuo more patrium carmen canentes: poſt hos Chaldæi, Babyloniorumque non Vates modo, ſed etiam Artifices cum fidibus ſui generis ibant. Laud s ii Regum canere ſoliti: Chaldæi ſiderum motus, & ſtatas temporum vices oſtendere*. Eodem igitur nomine diverſiſſima fuiſſe, diverſis præſertim temporibus, diverſiſque in locis, ſignificata Perſonarum genera, ex Magi nomine intelligimus. *Magi ſunt, qui de ſingulis philoſophantur*, inquiebat Divus Hieronymus in Caput II. Danielis, quod tamen nomen uſurpatum tandem eſt ad denotandos homines nefariis artibus addictos. Hos aliquando Mathematico-

ticorum titulo donavere, qui hodie nonniſi præclariſſimæ certiſſimæque Scientiæ Profeſſoribus tribuitur. Qui nunc Phyſici dicuntur, antiquitus *Theologi* appellabantur, ut ex Scriptoribus Græcis & Romanis patet, ac animadvertit Iſidorus Libro Originum VIII. Cap. 6. quum tamen nil minus revera eſſent quam Theologi; naturam enim & Deum idem eſſe conſtituentes, quicquid Deorum de natura credebatur, ex phyſicis naturæ partibus Spinoſiano prope more interpretabantur, ut ex Macrobio patet Libro I. in Somnium Scipionis Capite 10. inquirente: *Quid ſecundum priſcos Theologos eſſent Inferi?* Atque hiſce reſpondente: *Antequam ſtudium Philoſophiæ circa naturæ inquiſitionem ad tantum vigoris adoleſceret, qui per diverſas Gentes Auctores conſtituendis Sacris cæremoniarum fuerunt; aliud eſſe Inferos negaverunt, quam ipſa Corpora... Nec fruſtra hoc Theologi ſuſpicati ſunt... Secundum hæc igitur, quæ a Theologis aſſeruntur, ſi vere quiſque ſuos patitur manes, & Inferos in his corporibus eſſe credimus &c.* Theologorum nomine etiam Poetæ honeſtati ſunt, ſcribente Divo Auguſtino, Libro XVIII. de Civitate Dei Cap. 14. *Per idem temporis intervallum extiterunt Poetæ, qui etiam Theologi dicerentur.*

tur. Sed & ſæpeſæpius Monachos a Sanctis Patribus Philoſophorum fuiſſe nomine donatos oſtendit Cl. Montfauconus, ubi egit de Therapeutis. Mutati autem ſenſus in eodem nomine exemplum expreſſius habemus. Quamvis enim *fabulæ* nomen ſtatim auribus noſtris mendacium nunc reſonet; nativa ſignificatione tamen, narrationem modo denotabat, & ſermonem evulgatum, aliquando falſum quidem, ſed aliquando etiam verum. Nam μῦθος vox per ſe media eſt, ut oſtendit vox παραμυθία pro conſolatione. Certe Eccleſiaſtici XX. 19. ἄνθρωπος ἄχαρις, μῦθος ἄκαιρος, *homo ingratus*, *ſermo in tempeſtivus*, ut aliqui vertunt. Apud Homerum vero μῦθος ſimpliciter eſt λόγος, μυθολογεύειν idem quod λέγειν, καὶ ἀφηγεῖσθαι, tamquam ex iſodynamis vocibus compoſitum vult Euſthatius. Sed ſi μῦθος erat verbum in genere, id quod famur erat fabula. Dictus Plato noviſſe Syrias, & Phænicias μῦθους fabulas, ſcilicet ſcripta Hebræorum; Simplicium vero Philoſophum Coſmogoniam moſaicam habuiſſe pro fabula Ægyptiaca monet Thomas Galæus in adnotationibus ad Jamblichum, Sectione VIII. Cap. 3. Porro, ut fabula olim in re ſeria dicebatur, ita & fabulari ὁμιλεῖν. Divus Lucas Cap. 20. de Diſcipulis

pulis euntibus in Emmaus: *Et factum eſt dum fabularentur, & ſecum quærerent &c.* Apulejus, Libro Metamorphoſeon XI. de prodigioſa ſui, uti ſimulabat, ope Numinis reſtitutione, *Cuncti in me populi*, inquiebat, *fabulabantur: hunc omnipotentis hodie Deæ numen auguſtum reformavit in hominem*. Spartianus de Adriano: *Uno tempore ſcripſit, dictavit, audivit, & cum amicis fabulatus eſt*. Inde Italicam vocem *favellare* deducit Muratorius, Diſſertatione de Italicis antiquitatibus XXXIII. Poſtea vero fabula μῦθος dici cœpit λόγος ψευδής, ἐοικὼς ἀληθινῷ, πεπλασμένος, καὶ ἀληθείας ἔχων ἔμφασιν, *falſa de re ſermo, qui propterea deciperet, quod veritatis ſpeciem præſeferret*. Ex quo igitur vox *Chaldæus* Genethliacum demum, & Incantatorem denotaverit, haud inferri debet, id eam ſemper denotaſſe; proindeque jure optimo colligimus, Chaldaicam Theurgiæ originem, atque etiam appellationem, efficere neque debere, neque poſſe, ut cum Goetia confundatur.

Verum dixerit fortaſſe quis: numquid non Patres Sancti Theurgiam ipſam Magiæ cujuſdam loco habuere? Numquid eam doctrinis & operationibus Dæmonum inductam, exercitam, propagatam non docuerunt? Nonne Divus Au-

guſtinus Libro II. de Doctrina Chriſtiana Cap. 23. ſcripſit: *Omnes hujuſmodi artes, vel nugatoriæ ſunt, vel noxiæ ſuperſtitionis, & quadam peſtifera ſocietate hominum, & Dæmonum, quaſi pacto infidelis, & doloſæ amicitiæ conſtituta?* Ita ſane. Nos æque, & Theurgiam, & cætera ejuſmodi Infidelium, atque Ethnicorum deliramenta, inter Dæmonum inſidias recenſemus. Sed Patrum, & verba, & judicia, & ſenſus ponderandi ſunt. Aliud enim eſt, Theurgiam jure habendam a Dæmone profectam, irridendam, floccifaciendamque, rejiciendam immo & averruncandam, quod Paullum docuiſſe Coloſſenſes hoc præſertim in Opere ſatagimus oſtendere; aliud eſt, eam propria inductione, arte, ac præſtituto fine, multoque minus opinione honeſtiorum etiam Gentilium, fuiſſe vera cum Magia, & Goetia propria confuſam. Patrem audiamus, cujus numquam definiveris ſublimius ne fuerit ingenium, an animus candidior, nempe Auguſtinum, Libro X. de Civitate Dei Cap. 9. ubi recenſitis cœleſtibus prodigiis ætate Patriarcharum perpetratis ita pergit: *Hæc & alia multa ejuſcemodi fiebant ad commendandum unius Dei cultum, & multorum falſorumque prohibendorum. Fiebant autem ſimplici fide, atque fidu-*

ſiducia pietatis , non incantationibus & carminibus nefariæ curioſitatis arte compoſitis , quam vel Magiam , vel deteſtabiliore nomine Goetiam , vel honorabiliore Theurgiam vocant , qui quaſi conantur iſta diſcernere , & illicitis artibus deditos , alios damnabiles , quos & maleficos vulgus appellat ; hos enim ad Goetiam pertinere dicunt ; alios autem laudabiles videri volunt , quibus Theurgiam deputant , cum ſint utrique ritibus fallacibus Dæmonum obſtricti , ſub nominibus Angelorum . Nam Porphyrius quamdam quaſi purgationem animæ per Theurgiam promittit , & dicit eam per quaſdam Conſecrationes Theurgicas , quas Teletas vocant , idoneam fieri , atque aptam ſuſceptioni ſpirituum , & Angelorum ad videndos Deos . Libri autem X. ejuſdem Operis Cap. 10. iterum Sanctus Pater : *Porro ſi multorum Deorum Cultores , qualeſcumque Deos ſuos eſſe arbitrentur , ab eis facta eſſe miracula , vel civilium rerum Hiſtoriæ, vel Libris Magicis, ſive , quod honeſtius putant , Theurgicis credunt, &c.* Quibus profecto ex locis honeſtiſſimam , candidiſſimamque illius Sancti Viri agendi , diſputandique rationem quis maxime non admiretur ? Jam non ſemel , & copioſiſſimis oſtenderat ille argumentis , Angelos a Theur-

giſ cultos, non fuiſſe, quemadmodum Ethnici exiſtimabant, bonos Angelos, ac propitios Deos; ſiquidem quum divino ſe cultu adorari vellent, cuperent, juberent, itaque malos fuiſſe ac perduelles Angelos, ſupremi cultus Numinis æmulos, & inimicos. Verum, tametſi id noſſet, ac oſtendiſſet univerſo illo in Opere Hipponenſis Præſul; idemque jam præſtitiſſet Tertullianus Capite Apologetici XXIII., candide fatetur tamen, pro Gentilium principiis Sacerdotum, Ethnicique Vulgi opinione, Theurgiam a Magia fuiſſe prorſus diſtinctam diverſamque: priorem a Legumlatoribus, & Sacrorum Conditoribus inductam, a Magiſtratibus protectam, a Sacerdotibus exercitam; Goetiam ex oppoſito legibus vetitam, & a Principibus prohibitam, punitam a Magiſtratibus, ab Urbe, & ab Imperio ejectam; Theurgiam honorabiliore, deteſtabiliore Goetiam nomine donatam; immo diſtinguit Hipponenſis Pater, artes inter *nugatorias*, & *ſuperſtitioſas* ſolum, arteſque noxias, nefarias, & maleficas Gentilium: proindeque Magicis ab Artibus Theurgicam, Teleras, Myſteria diverſis mediis, diverſoque ab illis fine frequentata.

Revera, cur non intellexiſſent Patres diſcri-

crimen, quod Ethnicorum opinione intercedebat Theurgica inter Myſteria, & Magiam propriam, ſive Goetiam, quum toti aliquando eſſent, ut altiſſimam quam ſibi effinxerant Gentiles Myſteriorum ejuſmodi notionem irriderent, ac everterent, nullamque eſſe prædicatam adeo Theurgicam Angelorum vim oſtenderent; ex oppoſito Ethnicos, miracula Chriſti magicæ arti afferentes, ſeveriſſime corriperent, veluti illum malis cum Geniis commercium coluiſſe blaſphemarent, quemadmodum legere eſt apud Origenem, Euſebium, Arnobium, Auguſtinum, vetereſque prope omnes? Enim vero certum adeo eſt, Patres, diverſam Theurgiæ, & Goetiæ uſus, ac diſciplinæ rationem agnoviſſe, ut quum quidquid ad poſteriorem pertinebat, tamquam abominandum reſpexerint non modo, ſed etiam ejuſmodi appellaverint; nomina ex oppoſito, & phraſes, quæ ad ſimplicem ſpectabant Theurgiam adoptare non erubuerint, eaque non pompis, aut feſtis exterioribus, ſed arcanis, verendiſque, & auguſtiſſimis Chriſtianæ pietatis Myſteriis accomodare; quo nempe pacto ſaniores Ethnicos Chriſtianis Sacris, aut iſtis majeſtatem, & decus facile feliciterque conciliarent, & in recens Initiatorum animos

mos altiſſimarum ſenſus rerum , & ſublimes altioreſque ingererent cogitationes . Quamvis enim quicquid ad Chriſtiana Myſteria pertinebat a Divinis literis , & ab Apoſtolorum Traditione firmiſſima accepiſſent; Eccleſiaſticæ vero Hierarchiæ formam , & ſacrorum Miniſtrorum Ordinationes varia , eorum nomina , munia , juriſdictionem a Synagoga plurimum mutuati eſſent ; quemadmodum doctiſſimus Henricus a Porta oſtendit , ubi de Linguarum Orientalium ad omne doctrinæ genus præſtantia , copioſe egit , ac diligenter ; quum iidem Patres tamen probe prudenterque animadvertiſſent , vocem *Telete* initiationem apud Ethnicos denotare , conſecrationem , liberationem animæ , & perfectionem , Myſteriorum communicationem , maximum , honoratiſſimumque & arcanis refertum ſacrificium, eos autem qui vel perfectionem illam per Myſteria communicarent , vel qui ad ea accedentes perficerentur , appellatos fuiſſe τελεσθέντας , τελουμένους , τελεσμένους μεμυημένους , heinc voces , ideaſque , & notiones illas ſolis veris ſacratiſſimis Myſteriis , Sacramentis nempe noſtris , quemadmodum & omnibus , qui illis initiabantur , conſecrabantur , perficiebanturque , commodum aptavere , & baptiſmum di-

xere

xere ἱερὰν τῆς θεογενεσίας Τελετὴν, *ſacram divinæ regenerationis Teleten*. Idem uſurpavere nomen muneribus Ordinum Sacrorum denotandis, quemadmodum Dionyſius, Libro Myſtagogiæ I. Cap. 4. ſcribens: *Omnium Sacrorum Ordinum functionem in ſanctiſſimas Teletas dividi*; vimque illam divinam, qua Eccleſiæ Sacramenta prædita ſunt, *Teleturgiam*, quaſi purgationis, conſecrationis, perfectioniſque operatricem. Omnium autem *Teleton Telete* dicebatur Euchariſtia, quia, ut animadvertebat Iſaacus etiam Caſaubonus Exercitatione XVI. in Baronium: *Conjunctionis noſtræ cum Chriſto, cujus inſtrumenta ſunt Verbum Dei, & Sacramenta, velut colophonem imponit participatio Corporis, & Sanguinis Chriſti in Cœna Dominica; nullus enim reſtat alius modus, quo in terris verſantes, arctius cum Chriſto Capite noſtro conjungamur*. Teſtimonia Sanctorum Patrum, in quibus Theurgicæ illæ continentur voces, innumera apud Binghamum de Myſteriis, ſive Sacramentis pertractantem noſtris, & apud Suicerum proſtant in Theſauro ipſius Eccleſiaſtico, verbo *Telete*, ex eoque apud Cardinalem Bona, ejuſque Interpretem, Libro Rerum Liturgicarum I, Cap. 3, ne heic dicam de voce Ἀναγωγή,

Theur-

Theurgorum propria, ad ſignificandam inferiorum Entium ad ſuperiora traductionem, & ad beatum illum, ut ajebant, progreſſum vitæ, lucisque Principem, qui a divino ortu proficiſcitur, & quem Dionyſius, & vetuſtiores Patres ad ſacra tranſtulerunt noſtra; quemadmodum & voces Μυσταγωγός, Μυσταγωγία, Μυσταγωγεῖν, Μυστήριον, & ſimilia, tamquam ſplendentiſſimas faces a cœcutientium tædiferorum manibus eripiendas, ad veros transferenda Pontifices & Sacerdotes, ut allegatus Suicerus ad illa nomina factum revera fuiſſe a Patribus tuetur. Conſequimur itaque, crediſſe Majores noſtros, appellationes illas, nomina, verba, ac phraſes Theurgicis in Myſteriis uſurpatas, juxta nativam & receptam ſignificationem ſuam, apud Ethnicos quoque, non denotaſſe niſi cæremonias, ritus, diſciplinam, & operationes ad animi purgationem, & ad unionem cum ſuperis, pro falſa Gentilium ſuperſtitione, perducentes.

CA-

CAPUT V.

De Abſtinentiis Theurgorum.

SCribit Clemens Alexandrinus Libro Stromatum I. *Myſteria ſunt ea etiam, quæ præcedunt Myſteria* καὶ μυςήρια τὰ πρὸ μυςηρίων, quod repetit adhuc Stromatum IV. VI. & VIII., idemque Marinus habet in Vita Procli, ad Eleuſinia reſpicientes, in quibus qui Majoribus initiari Myſteriis cupiebant, per minora præparabantur, ut Ariſtophanis Scholiaſtes docet *ad Plutum*. De præparationibus igitur Theurgica ad Myſteria, præcipue vero de ſingulari Theurgorum abſtinentia dicemus hoc loco, tum quod id argumenti ratio poſtulet, tum etiam quod nil clare magis oſtendet, Apoſtolum in teſtimonio, quod illuſtrare

re agreſſi ſumus, de Myſteriis loquutum fuiſſe, & purgationibus Theurgicis, quam abſtinentia illa, ſive ſenſuum, ut ita dixerim, mortificatio, abjectioniſque, humilitatis, & caſtimoniæ veluti exercitium, cæteraque ſimilia, quæ, præparationis inſtar, Theurgicam ad conſecrationem, & perfectionem Initiandi uſurpabant. Erant ea ſiquidem, ut videbimus in loco, *humilitas, & Religio Angelorum*, ſive potius *humilitas in religione Angelorum, rationem habens ſapientiæ, & non ad parcendum Corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis*. Quamvis enim ſolis Theurgicis operationibus, & Myſteriorum cæremoniis, Angelorum mediatione & virtute, ac numine Deorum, purgari animum poſſe, a ſuis liberari malis, & aſcendere ad unionem cum Diis, pro artis ſuæ vi, traderent Sacerdotes Theurgi, crederentque Theurgicis in Myſteriis initiandi; non omne tamen hominis opus ſupervacaneum ducebant, ſed aliquos immo præparationis poſtulabant actus, qui idoneos initiandos redderent ad beneficium Initiationis conſequendum.

Jam vero animadvertendum illud eſt, gloriari ſolitos Gentiles ſaltem puriores, antiqua frugalitatis, & parſimoniæ veſtigia in Sacris abs

ſe

ſe conſtantiſſime retenta, quemadmodum inſignis docet Athenæi locus, Libro Deipnoſophiſtarum IV, ubi ſcribit: *Cognoſcere id porro licet e patriis Sacris, quæ a nobis fiunt. Certis enim quibuſdam viis nos incedimus, ac præfinitis; præſtituta quædam geſtamus, precibus loquimur, & in Sacrificiis cum parſimonia & frugalitate nos agimus. Nihil enim amplius quam quod natura poſcit, nobis veſtium eſt, nec proxime corpus, nec indumentorum externorum: exigui pretii amictus, calceatuſque &c.* Ὁδούς τε γὰρ πορευόμεθα τεταγμένας καὶ ὡρισμένας, καὶ τεταγμένα φέρομεν, καὶ λέγομεν ἐν ταῖς εὐχαῖς, καὶ δρῶμεν ἐν ταῖς ἱερουργίαις, ἀφελῆ τε ταῦτα καὶ λιτά, κ. τ. λ. Hic qui loquens inducitur ab Athenæo, ad vetuſtiorum adludit ſimplicitatem ſacrorum; nam & Ælianus Var. Hiſtor. Libro II. Cap. 31. poſtquam docuiſſet, atheum inter Barbaros neminem umquam fuiſſe inventum, ſed tantum inter Græcos; Deoſque ab omnibus Barbaris exiſtere creditos tenaciſſime fuiſſe, qui res curarent humanas, futuraque præſignificarent, ſubjicit: *De his firmam perſuaſionem habentes, ſacra pure faciunt, & ſancte in caſto ſunt.* Jamblicus autem in ſuo de Myſteriis Libro, quem Morhofius Libro I. Polyhiſt. vocat *Compendium Theologiæ Gentilis*, Sectio-

ctione I. Cap. 21. ſcribebat : *Nonne omnis ſacrorum cultus ſecundum Deorum Leges, & modo intellectuali, ab initio ſanciebatur?* ποία γὰρ ἁγιστεία καὶ κατὰ νόμους ἱερατικοὺς θεραπεία δρωμένη διὰ πάθους γίνεται, ἢ καθῶν τινα ἀποπλήρωσιν ἐμποιεῖ; Operaturi autem Ethnici Sacris ſuorum Numinum, non jejuniis modo, & abſtinentiis ſe ſe præparabant veluti ac diſponebant, caſtitatem quodammodo colentes; quare Divus Auguſtinus Libro XVI. de Civitate Dei Cap. 2. non miraretur *fieri poſſe ut propter Idololatriam a voluptatibus carnis temperaretur*. Inde enim tot illæ Ovidii querelæ in Deos Deaſque, & eorum ſæpenumero ſolemnia, quæ amicas ab ipſo diſtrahebant; indeque voces illæ, ut a templis, ac Sacrificiis Deorum procul impii eſſent ac profani. Naturæ ſcilicet inſtinctu ſe ſe mortales ſemper, & ubique, abſtinentiæ, puritatis, & mortificationis actibus ad animum a labe liberandum, & ad cœleſtem ſibi comparandam Tutelam præparavere; ut in egregia Collatione ſua vetuſtiſſimos inter, & recens detectos Populos infinitis oſtendit teſtimoniis Lafitavius: idcirco mirum quammaxime, apud hodiernos tot Scriptores, quibus cæterum nil niſi læta eſt materia, paſſim reperiri, Græcos, Romanoſque

noſque Gentiles non coluiſſe, niſi Religiones ſimplices, hilares, amœnas, feſtis modo, pompiſque & gaudiis refertas. Oppoſitum vetera ſane docent monumenta, eaque præſertim, quæ ad initiationes pertinent Myſteriorum.

Ut enim Suidam omittamus, teſtes ſunt Elias Cretenſis, & Nonnius, Divi Gregorii Nazianzeni Interpretes, tot eorum ad corporis cruciatum pertinentium, quæ ad initiationem in Myſteriis Mithræ uſurpabantur. Tertullianus adverſus Valentinianos Cap. 1. tyrocinium veluti eorum, qui in Eleuſiniis Myſteriis initiabantur deſcribens, inquit: *Aditum prius cruciant, diutius initiant, quam conſignant, quum Epoptas ante quinquennium inſtituunt, ut opinionem ſuſpendio cognitionis ædificent*. Sacerdotes vero operaturi, vel divinaturi, ſingulariſſima utebantur abſtinentia; nam de Propheta Oraculi Colophonii ſcribit Jamblichus in Libro de Myſteriis, Sectione III. Cap. XI. *Quin etiam Oraculum editurus, diem noctemque a cibis abſtinet, ſeque re ad ſacra revocat vulgo inacceſſibilia, jam jam enthuſiaſmo ſe præparans. Itaque propter ſequeſtrationem, & negotiorum humanorum fugam, ſincerum ſe reddit, aptumque ad Deum ſuſcipiendum*, ὅπως ἀσιτεῖ τὴν ἡμέραν ὅλην

 ϗ

ϗ νύκτα, κ. τ. λ. & ſtatim inter ritus ad Oracula captanda neceſſarios trium dierum jugem inediam recenſet. Marſilius denique Ficinus ex II. Porphyrii de Sacrificiis Libro, ajebat, Theurgos *juſſiſſe, antequam ſacrifices purgare animam jejunio, & præcipue animalium abſtinentia. Exiſtimant enim Sanctam animi puritatem, quaſi ſymbolum characteremque divinum, quo cuſtodiaris adeo, ut nihil patiaris ab illis, quibus ipſe propinquas, dum eos ſacrificando concilias*. Sed expreſſam mag.s imaginem rei nobis præbet Apulejus.

Totus ille ſiquidem elegantia & eruditione refertus eſt; aſt in parte ſuarum Metamorphoſeon noviſſima, Libro ſcilicet XI. excellere ita prædicatur, ut nonnulla quidem ſimpliciter dixerit, ſed plura ex hiſtorica fide, plurima ex penitioribus Religionis Ethnicæ arcanis; heinc Sacerdotali pompa eleganter fuſeque deſcripta, religioſam inde tradens in Sacris Iſidis, & Oſiridis initi tionem, ſeveriſſimam æque, quam, pro myſteriorum legibus & ritu, obſervabant Initiandi abſtinentiam his explicat verbis: *Fato jam meis tot, tantiſque cladibus ſatiato, & ſpem ſalutis licet tardam ſubminiſtrante, auguſtum ſpecimen Deæ præſentis ſtatui deprecari; confeſtim-*

ſtimque diſcuſſa prima quiete, alacer exurgo, atque protinus purificandi ſtudio, marino me lavacro trado, ſeptieſque ſubmerſo fluctibus capite, quod eum numerum præcipue Religionibus aptiſſimum divinus ille Pythagoras prodidit, lætus & alacer Deam præpotentem lacrimoſo vultu ita deprecabar, &c. Iiſdem poſtea in ſomnis ſibi apparuiſſe narrat, atque inter cætera hæc loquutam: *Quod ſi ſedulis obſequiis, & Religionis miniſteriis, & tenacibus caſtimoniis Numen noſtrum promerueris, ſcies ultra ſtatuta fato tuo ſpatia vitam quoque tibi propagare mihi tantum licere*. Pompam ruſus deſcribit Apulejus, ſuamque priſtinum in ſtatum reſtitutionem, & ita denique proſequitur: *Nec fuit nox una, vel quies aliqua viſu Deæ monituque jejuna: ſed crebris imperiis, Sacris ſuis me jam dudum deſtinatum, nunc ſaltem cenſebat initiari. At ego, quamquam cupienti voluntate præditus, tamen religioſa formidine retardabar. Quod enim ſedulo percontaveram difficile Religionis obſequium, & caſtimoniorum abſtinentiam ſatis arduam, cautoque circumſpectu vitam, quæ multis caſibus ſubjacet, eſſe metuendam*. Accedente vero initiationis tempore, quæ ſibi Sacerdos dixerat, narrat; *Ergo igitur me quoque oportere cæleſte*

ſuſtinere præceptum, quamquam perſpicua evidentique magni Numinis dignatione, jamdudum cum felici miniſterio nuncupatum, deſtinatumque, nec ſecus quam Caltores cæteri cibis profanis, ac nefariis jam tunc temperarem, quò rectius ad arcana puriſſimæ Religionis ſecreta pervaderem. Indidem mihi prædicat, quæ forent ad uſum Teletæ neceſſario comparanda .... Jamque tempore, ut ajebat Sacerdos, id poſtulante, ſtipatum me religioſa cohorte deducit ad proximas balneas, & prius ſueto lavacro traditum, præfatus Deûm veniam puriſſime circumrorans abluit: rurſumque ad Templum reductum, jam duabus diei partibus tranſactis, ante ipſa Deæ veſtigia conſtituit, ſecretoque mandatis quibuſdam, quæ voce meliora ſunt, idque plane remotis arbitris, præcepit, decem illis continuis diebus cibariam voluptatem coercerem, neque ullum animal eſſem, & invinius eſſem. Quibus venerabili continentia ſervatis, jam dies aderat divino deſtinatus vadimonio &c. Quia vero plurimæ erant Numinum religiones, quarum Myſteriis omnibus initiari ſe patiebantur Ethnici ſuperſtitioſiores, ideo his proſequitur Apulejus: *Deæ quidem me tantum Sacris imbutum, ac magni Dei, Deûmque ſummi Parentis, invicti Oſiris,*

nec

nec dum Sacris illuſtratum; quamquam enim connexa, immo unica ratio Numinis, Religioniſque eſſet, tamen Teletæ diſcrimen intereſſe maximum ... . . Igitur cunctis affatim præparatis, rurſum decem diebus, inanimis contentus cibis, inſuper etiam de Serapidis principalis Dei nocturnis Orgiis illuſtratus, plena jam fiducia germanæ Religionis obſequium divinum frequentabam. Nec deinceps poſtpoſito, vel in ſupinam procraſtinationem rejecto negotio ſtatim Sacerdoti meo relatis quæ (novo in ſomnio) *videram, inanimæ rurſus caſtimoniæ jugum ſubeo, & Lege perpetua, præſcriptis illis decem diebus ſpontali ſobrietate multiplicatis, inſtructum, Teletæ comparo*. Sane; quamvis Africanus iſte Luciani imitator nil cogitaret magis, quam Myſteriorum initiationes irridere, attamen ex ejus Satyra clare patet, quanta tenerentur diverſis etiam, immo omnibus in Myſteriis Initiandi abſtinentia, & quam multiplici mortificationum genere, & ritu ſe ſe ad initiationes illas compararent.

Communia erant tamen, ut dicebamus, illa Deorum vulgarium Myſteria, quibus puriora, & ſublimiora jactabant Theurgi, ea ſcilicet, in quibus conſtituta erat *humilitas*, & *Re-*

Religio Angelorum ; quare ſeveriori abſtinentiæ & caſtimoniæ , nec non arduæ magis dejectioni animi , & corporis mortificationi , Initiantes in illis , Initiandique obſtringebantur . Platonici revera illi , ſive ſatius Eclectici Philoſophi , qui Chriſtianæ Religionis luci ut obſiſterent , Theurgica Myſteria ſibi demum ſumpſere vindicanda , ut ſeveram quoque Theurgorum propugnarent abſtinentiam , in extrema prorſus lapſi ſunt . Libro namque de Civitate Dei X. Cap. 9. ita ſcribebat Auguſtinus : *Quærit Porphyrius , cur ab animantibus ſuos Antiſtites oportere abſtinere Theurgi denuncient ? ne vaporibus profecto corporeis polluantur , & a cadaveris contactu prohibeatur Inſpector* Ἐπόπτης Quam theoriam Jamblichus Theurgici Sacerdotis nomine ita explicabat in Libro *de Myſteriis* Sectione VI. Cap. 1. *Præterea corpora humana , poſtquam ea deſeruerit vita , non licet tangere ; nam in corpore noſtro exſtinguitur per mortem divinæ particula auræ , repræſentatio , & apparitio* . ὅτι τῶν δὲ μὲν ἀνθρωπείων σωμάτων ἀπολίπῃ αὐτὰ ἡ ψυχὴ οὐκ ἔξεςι θιγγάνειν, κ. τ. λ. Quin & nonnulli ad inanima etiam corpora abſtinentiam extendebant illam , teſte Auguſtino , Libro X. de Civitate Dei Cap. 42. ubi habet : *Porphyrium*

rium in Libris de regreſſu animæ præcipere omne corpus eſſe fugiendum, ut anima poſſit beata permanere cum Deo. Et Libro ejuſdem Operis XII. Cap. 26. *Porphyrius, propter animæ purgationem, dicit omne corpus eſſe fugiendum*: Rurſus Libro XIII. Cap. 17. Philoſophos illos Theurgiæ Vindices notabat, *qui magnis diſputationum viribus aſſerebant, animæ, ut beata eſſe poſſit non terrenum tantum, ſed omne corpus eſſe fugiendum*. Heinc Marſilius Ficinus, ex IV. Porphyrii *de Abſtinentia* Libro iſtius ea repetebat: Utinam abſque cibo & potu agere vitam potuiſſemus, ut corporis cohibentes effluxum, optimis ſtatim rebus conjungeremur, in quibus & Deus exiſtens, ita Deus exiſtit. Verum Porphyrii de mente, ad ejuſmodi doctrinam quod ſpectat, conſulendus Lucas Holſtenius, in Diſſertatione de vita & Scriptis ejuſdem Philoſophi, Capite undecimo.

Theurgicas nonnullas tam rigidæ ſeveræque abſtinentiæ cauſſas adfert Abammon Sacerdos apud Jamblichum in Opere *de Myſteriis*, Sectionis VI. Cap. 1. ubi Angelorum de Cultu, & Religione differens, quum eos craſſioris expertes corporis ſaltem eſſe prædicaret, corporeis propterea contactubus eorum pollui ac vio-

lari Sacra conſequebatur, cultumque a materia purum iis maxime eſſe adcomodatum, qui ab omni materia puri colebantur. Idem Theurgicus Sacerdos Sectionis V. Cap. 15. conſtituerat, duplicem eſſe ſtatum noſtrum; operari nos ſiquidem alias, ut liberos a corpore; alias, ut corpori devictos: pro duplici hoc autem ſtatu duplicem Sacrificiorum ritum eſſe oportere, alium hominum purgatorum; alium eorum, qui purgati non eſſent. Tum illud ex II. Porphyrii *de Sacrificiis* Libro animadvertebat Marſilius Ficinus, Theurgos, ſi quando permiſiſſent Angelis malis, vitandorum gratia malorum, quæ illaturi forent, animalia mactare, vetaſſe tamen ſimul, talia deguſtare Sacrificia: quod eo præſtandum magis, dum iis Sacrum fieret Spiritibus & Angelis, quos puros omnino exiſtimabant, ac bonos, & a quorum mediatione purgationem & liberationem animæ expectabant.

Cæterum, utcumque, celebrandæ in odium Chriſtianorum Theurgiæ cauſſa, arcanas, longeque deductas Theurgicæ rationes abſtinentiæ oſtentarent Philoſophi Myſteriorum Vindices, alia adhuc tamen objiciunt ſe ſe nativa veluti motiva, quare ita ſe Initiantes, Initiatique gererent

rerent in Religione Angelorum ; commune & ſuperſtitioſum ſcilicet ſe ſe purificandi ſtudium, & *ut ad arcana Religionis ſecreta pervaderent*, quemadmodum inquiebat Apulejus, ut Angelorum videlicet viſiones, & unionem cum Diis obtinerent. Id autem certo conſtabit, ſi nonnulla Patrum teſtimonia ſcrutabimur attentius; & primum quidem Arnobii, Libro adverſus Gentes II. ubi habet: *Neque illud obrepat, aut ſpe vobis aeria blandiatur, quod a Sciolis nonnullis, & plurimum ſibi arrogantibus dicitur: Deo eſſe ſe gnatos, nec fati obnoxios legibus: ſi vitam reſtrictius egerint, aulam ſibi ejus patere; ac poſt hominis functionem, prohibente ſe nullo, tamquam in ſedem referri patritam: neque, quod magis ſpondent, commendaticias habere ſe preces, quibus emollitæ neſcio quæ Poteſtates, vias faciles præbeant ad cœlum contendentibus ſubvolare. Blandimenta hæc caſſa ſunt, & inanium fomenta votorum. Magi licet cunctas emolliant, & commulceant Poteſtates, niſi a Domino rerum datum fuerit animis id, quod ratio poſtulat, idque per mandatum, multum poſtea pœnitebit fuiſſe irriſui, cum ad ſenſum cœperit interitionis accedi*. Videntur hæc mihi ſane verba, ut id obiter animadvertam, perfectiſſi-

fectiſſimus verborum Apoſtoli, quæ illuſtrare nunc pergimus, Commentarius. Paullus ſiquidem de Seductoribus loquitur, qui fruſtra inflati ſenſu mentis ſuæ ea cum ſupercilio oſtentabant, quæ nuſquam viderant; eos ſubdit non agnoviſſe, neque ſequutos eſſe verum Caput, veramque viam per quam aſcenditur ad Deum; totos interim fuiſſe in cultu Angelorum, per ſpontaneum quoddam humilitatis, abſtinentiæ, & mortificationis exercitium; adeo ut non corpori parcerent, non carni &c. Arnobio autem, ſtatim atque de illis dixit, *qui reſtrictius vitam agebant*, quo cœleſtis aulæ ſedes conſequerentur; Arnobii, inquam, menti ſtatim Theurgi occurrunt, qui reſtrictius æque viventes, *commendatitias habere ſe preces* etiam jactabant *emolliendis ſuperis Poteſtatibus*; unde ſibi plurimum arrogantes ad cœlum crederent facilius ſubvolare: & quemadmodum nullius fuiſſe pretii ea, quæ animis purgandis, & aſcenſui in cœlum obtinendo Seductores illi perpetrabant, eſto haberent ſpeciem virtutis & ſapientiæ, nullius, inquam, fuiſſe pretii docebat Apoſtolus, propterea quod extra myſticum Chriſti corpus agerent, qui triſte ac ſeverum illud vitæ & abſtinentiæ genus conſectabantur; ita *caſſa blan-*

di-

dimenta, *& inanium ſomenta votorum* appellat Arnobius tum commendatitias illas Theurgorum preces commulcendis Angelis deſtinatas; tum rationem quoque illam, qua vitam reſtrictius agebant ad patrias ſedes repetendas. Eo igitur pacto quo de Theurgis heic loquitur Arnobius, ita de iiſdem agebat Paullus, quod fuſius oſtendetur in loco. Satis ex Arnobii verbis eruere in præſens erit, animi purgandi cauſſa uſurpatam primum fuiſſe Theurgicis in Myſteriis ſingularem abſtinentiam.

Sed confirmari id vehementius arbitramur poſſe, ſi animum in ea intendamus, quæ de Theurgis ſcripſit Clemens Alexandrinus, cujus Stromata, etiamſi eo nomine donata, adcuratiori tamen, quam quis fortaſſe ſuſpicetur, methodo ſcripta ſunt, & diligentia. Oppugnat ille Libro præſertim III. vetuſtiſſimos quoſdam Hæreticos, qui *vino abſtinendum eſſe ducebant*, *animatis*, *& Venere*. Quia omnes tamen, etiamſi eumdem in errorem conſentientes, non iiſdem tamen movebantur principiis; ita neque iiſdem Clemens rationibus, neque iiſdem eos refellit teſtimoniis, & exemplis. Agebantur alii Pythagoræ, & Platonis doctrinis perperam intellectis; duo alii admittebant Principia, ex quorum

rum malo corporea omnia profecta blaſphemabant; alii propter odium adverſus carnem ſuſceptum, a Nuptiis abhorrebant; alii, ut frequens evenit, odio ceterorum ſecus cogitantium, vinoque, & animatis utentium, ab utriſque ſe ſe abſtinebant; aliqui demum Evangelica peſſime explicabant conſilia, & praecepta. Tot autem inter diverſos diverſis actos motivis Heterodoxos, genus quoddam eorum veluti Anonymum reperit Alexandrinus Clemens, quos etiam notaverat Divus Paullus, II. ad Timothæum 2. dicentes. *Reſurrectionem eſſe jam factam*, quem errorem Menandro aſſerit Irenæus Libro I. Cap. 21., & Tertullianus Libro de Reſurrectione carnis Cap. 19. alios fuiſſe memorat Hæreticos eamdem in inſaniam lapſos, non aliam videlicet Reſurrectionem ſtatuentes, quam ſpiritualem factam per Baptiſmum. Ejuſmodi porro Hæretici, ſi Clementi Alexandrino fides, Libro Stromatum III., a Nuptiis abſtinebant; quare? Quia Matthæi XXII. legitur: *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur: ſederunt ſicut Angeli Dei in cælo.* Abhorrebant pariter ab animatis, & a vino, propterea quod I. ad Corinthios 7. Paullus ſcripſerat: *Eſca ventri & venter eſcis. Deus autem & hunc, &*

has

bas deſtruet . Præpoſterum adeo vitioſæ puritatis ſtudium & fundamentum refutans Sanctus Pater, non alios illis opponit, quam Theurgos, his verbis: *Ii quoque, qui colunt Idola, a cibis, & a Venere abſtinent. Sed non eſt regnum Dei eſca & potus. Certe Magis quoque curæ eſt, qui Angelos colunt, & Dæmones, ſimul a vino, & ab animatis, & a rebus abſtinere venereis. Quemadmodum autem humilitas eſt manſuetudo, non autem afflictio corporis; ita etiam continentia eſt animæ virtus, quæ non eſt in manifeſto, ſed in occulto*; ἀλλ' οἱ καὶ τὰ εἴδωλα σεβόμενοι βρωμάτων τε ἅμα καὶ ἀφροδισίων ἀπέχονται. οὐκ ἐστι δὲ ἡ βασιλεία θεοῦ βρῶσις καὶ πόσις. Ἀμέλει διὰ φροντίδος ἐστὶ τοῖς Μάγοις οἴνου τε ὁμοῦ, καὶ ἐμψύχων, καὶ ἀφροδισίων ἀπέχεσθαι, λατρεύουσιν Ἀγγέλοις, καὶ δαίμοσιν. ὡς δὲ ἡ ταπεινοφροσύνη πρᾳότης ἐστιν, κ. τ. λ. Illuſtrem & ſingulariſſimum hunc Clementis Alexandrini locum, eſſe litteralem Apoſtoli Paulli Commentarium, quis ſtatim non intelligit? Magos utique, quemadmodum & Arnobius, vocat cultores illos Angelorum, abſtinentes a vino, animatis, & a Venere; neque denotare tamen voluit, niſi Theurgos; nam ut olim nomen Magi, quemadmodum jam animadvertimus, Orientales præſertim apud Populos, Philoſophum una

ſigni-

ſignificabat, & Sapientem, & Sacerdotem; ita poſteriori ætate uſurpatum eſt ad quoſcumque denotandos, qui ſingulare haberent cum Angelis, Genis, & Dæmonibus Commercium; Patres ſiquidem, ut verbis iterum utamur Auguſtini, illos omnes, quamvis diverſa ratione, diverſumque ob finem, & diverſiſſimis utentes Myſteriis, ponebant tamen, habebantque *ritibus fallacibus Dæmonum obſtrictos*, *ſub nominibus Angelorum*. Conjungit heic vero Clemens Alexandrinus ταπεινοφροσύνην, ambitioſum ſcilicet humilitatis, & dejectionis adparatum cum illo cultu Angelorum, illiſque cum abſtinentiis, de quibus agit etiam Apoſtolus, Seductorum ea m morans; *Ne tetigeritis*, *neque guſtaveritis*, *neque contrectaveritis*, quæ pariter omnia, ut videbimus, vinum, animata, & licitam etiam venerem reſpiciebant, eaque ταπεινοφροσύνην, quemadmodum Apoſtolus, appellat; quare ſicut Alexandrinum Patrem, ita & Apoſtolum, Theurgico ſingulari nomine de Theurgicis Ethnicorum Myſteriis loquutum eſſe intelligamus. Quia vero Hæreticis illis, qui inſano ſolum quodam puritatis ſtudio, & quod per Baptiſma ſe jam omnino reſurrexiſſe ſomniarent, a nuptiis, a vino, & ab animatis abſtinebant, non

Gen-

Gentiles alios eadem philoſophicis ex principiis uſos abſtinentia opponit Sanctus Pater, quemadmodum præſtitit adverſus Gnoſticos, & Encratitas, quos cum Brachmanibus contulit, & Hylobiis, &c. ſed ſolos opponit Theurgos, hoſque cum illis confert; propterea ſolo ſingularis puritatis ac præparationis ſtudio viderentur æque Theurgi ſingulare abſtinentiæ, & caſtimoniæ genus uſurpaſſe.

Et hæc quidem ita eſſe potuere in prima Theurgiæ Inſtitutione, ætate antiquiſſimorum Chaldæorum. Aſt quid tempus non poteſt? quid non valet in Populo præſertim ſuperſtitio Hebræi eam olim habuere a Deo Legem, mo rumque inſtituendorum vitam atque Diſcip nam, ut & præceptis, & conformatione vi. contineretur; quum, ut animarvertit Flavius Joſephus, apud Euſebium, Libro Præparationis Evangelicæ VIII. Cap. 8. Ligislator Moyſes, præcipuo quodam ſtudio, ambo illa conjunxerit, dum neque mutam vitæ morumque conformationem reliquit, neque Legis præcepta operum ſocietate carere permiſit: ſed jam inde ab ipſo alimenti genere, ac domeſtica ſingulorum victus ratione auſpicatus, ne minutiſſimum quidem aliquid eorum, qui uterentur,

po-

poteſtatis & arbitrii facere voluit. Ne vero ignorationem aliquam, velut obtentum deprecandæ pœnæ ſpeciem relinqueret, longe pulcherrimum, maximeque neceſſarium, Diſciplinæ genus, Legem ipſam ſuis eſſe voluit Hebræis, haud ſatis id futurum putans, ut ſemel, iterum, aut ſæpius eam audirent, ſed hebdomadis immò ſingulis ab alio quolibet opere feriatos omnes ad illam, dum recitaretur, audiendam, animoque penitus informandam, convenire juſſit. Quid tamen majoris obtentu puritatis non excogitavere Phariſæi? Certe, ut ex tribus priore diximus hujus Commentarioli pite, immodico illi corporis affligendi ſtuper inediam, perque alias obſervationes, ligionis velamine inductas, ægram traxerunt animam, & ſimulacra corporum magis, quam corpora evaſere. Cæteris id magis magiſque oportebat contingere in Sectis, divinæ Revelationis, & luminis expertibus, dum infinitate noſtræ mentis præcipue decipimur, reſque nobis efformamus naturalibus ſpecie quadam pulchriores, quæ ſingulari quidem Dei numine ſperari poſſunt, ſed voluntate, & humana obtineri natura numquam poſſunt. Spontanea aliquando inducuntur, ad tempus quidem idonea,

nea, ſed diuturno tempore non optima: Lege demum necquiquam reclamante. Ita moderatæ abſtinentiæ, Continentiæque, aſperam & impotentem Theurgos ſucceſſores addidiſſe ſuſpicarer arteſque ac impoſturas innocuæ fortaſſe conſuetudini, quo ad arcana ſuæ Religionis ſecreta pervenirent. Hinc Hieronymus Libro II. adverſus Jorvinianum hæc habet: *Chæremon ſtoicus, vir eloquentiſſimus, narrat de vita antiquorum Ægypti Sacerdotum, quod omnibus mundi negotiis curiſque poſtpoſitis, ſemper in templo fuerint, & rerum naturas, cauſaſque, & rationes ſiderum contemplati ſint; nunquam mulieribus ſe miſcuerint nunquam cognatos & propinquos ne liberos quidem viderint; ex eo tempore, quo cœpiſſent divino cultui deſervire, carne & vino ſe ſemper abſtinuerint propter tenuitatem ſenſus, & vertiginem capitis quam ex parvo cibo patiebantur, & maxime propter appetitus libidinis, qui ex his cibis, & ex hac potione naſcuntur... Eubulus quoque; qui hiſtoriam Mithræ multis Voluminibus explicuit narrat apud perſas tria genera Magorum; quorum primos qui ſint doctiſſimi, & eloquentiſſimi excepta farina, & holere nihil amplius in cibo ſumere.... Euripides, in creta Jovis Prophetas non ſolum carnibus,*

bus , ſed & coctis cibis abſtinuiſſe refert . Xenocrates philoſophus de Triptolemi legibus apud Athenienſes tria tantum præcepta in templo Eleuſinæ reſidere ſcribit , honorandos parentes , venerandos Deos , carnibus non veſcendum . Orpheus in Carmine ſuo eſum carnium deteſtatur .

Erant autem ſecreta Theurgicæ Religionis arcana viſiones Angelorum , quas Theurgi ciere , atque excitare ſatagebant [illegible] illa , nimiaque abſtinentia , & inedia . Id ut percipiatur confugiendum eſt ad illorum doctrinas Philoſophorum , qui Divinationem per ſomnia vindicabant . Eas collegit Tullius Libro de Divinatione I. ubi habet ; *At multa falſa ſomnia ; immo obſcura fortaſſe nobis . Sed ſint falſa quædam contra vera quid dicimus ? quæ quidem multo plura evenirent , ſi ad quietem integri iremus . Nunc onuſti cibo & vino perturbata & confuſa cernimus . Vide quid Socrates in Platonis Politia loquatur . Dicit enim : Cum dormientibus ea pars animi , quæ mentis & rationis ſit particeps , ſopita langueat : illa autem , in qua feritas quædam ſit , atque agreſtis immanitas , cum ſit immoderato obſtupefacta potu , atque paſtu , exſultare eam in ſomno , immoderateque jactari . Itaque huic omnia viſa objiciuntur a mente & ra-*

tione

tione vacua . ... . At qui ſalubri & moderato cultu, atque victu, quieti ſe tradiderit, ea parte animi, quæ mentis & conſilii eſt, agitata & erecta, ſaturataque bonarum cogitationum epulis: eaque parte animi, quæ voluptate alitur, nec inopia enecta, nec ſatietate affluenti, quorum utrumque perſtringere aciem mentis ſolet, ſive deeſt naturæ quippiam, ſive abundat, atque affluit: illa etiam tertia parte animi, in qua irarum exſiſtit ardor, ſedata, atque reſtricta: tum eveniet duabus animi temerariis partibus compreſſis, ut illa tertia pars rationis & mentis eluceat, & ſe vegetam ad ſomniandum acremque præbeat: tum ei viſa quietis accurrent tranquilla atque veracia. Jubet igitur Plato, ſic ad ſomnum proficiſci corporibus affectis, ut nihil ſit quod errorem animis perturbationemque afferat. Ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur, ne faba veſcerentur, quod habet inflationem magnam is cibus, tranquillitati mentis, quærenti vera contrariam. Viget enim animus in ſomnis, liberque ſenſibus ac omni impeditione curarum, jacente & mortuo pœne corpore. Qui quia vixit ab omni æternitate, verſatuſque eſt cum innumerabilibus animis, omnia, quæ in natura ſunt, videt, ſi modo temperatis eſcis, modiciſque potio-

 nibus,

nibus, ita eſt affectus, ut ſopito corpore ipſe vigilet. Doctrinam vero hanc urgere non deſtitit Platonicorum Sectator Dogmatum, antequam Chriſto nomen daret, Syneſius, in Libro *de Inſomniis*, ubi Divinationem per ſomnia propugnans, agit etiam de methodo enutriendi corpus ad illius divinationis vim veluti augendam, quemadmodum in Adnotationibus animadvertit ipſius Interpres Nicephorus, ſcribens: διδάσκει πως δεῖ τρέφειν, καὶ αὔξειν τὴν τέχνην τῆς καθ' ὕπνον μαντικῆς. *Aſſerit autem Syneſius id fieri oportere moderato & frugali victu, qui nec animali ſtimulos addat, neque corpus compellat in extremum ſtatum: alioqui primum ad corpus agitatio ipſa perveniet, quod tamen eſſe pacatum, & quietum oporteat*. καὶ διὰ μετρίας μὲν ἐξοιστρούσης τὸ ζῶον ἥκιστα δὲ ἐμποιούσης εἰς τὸ ἔσχατον σῶμα, κ. τ. λ. Proteſtatur ſe vero de Divinatione tantum naturali dicere, non vero de inſomniis, quæ Myſteriorum ope & virtute obtinebantur; ſcribit enim: καὶ Τελεταῖς μεν, ἀλλὰ μηδὲ ὁ λόγος κινείτω. *At reconditas quidem Initiationes nullo modo noſtra attingat Oratio*. Non quidem quod Theurgicorum vim Myſteriorum negaret; ſed quod ad pauciſſimos ea ſpectare arbitraretur; ſubdit ſiquidem; *atque hoc unus fortaſſis, aut alter, Initia-*

tiationis , *&* *Myſteriorum beneficio conſequatur* . ϗ τὸν μὲν ἑνὶ ϗ δευτέρῳ δῶρον ἂν γένοιτο Τελεστῆς, ϗ Θεοῦ. Ad mediocritatem ejuſmodi, ſtatumque medium inter copiam & inopiam ſpirituum nuper æque confugit Formeyus , phyſica ratione ſomniorum cauſſam explicaturus, *Tomo Miſcellaneorum Philoſophicorum I. Num.* 5. Dum vero idoneis ſomniis captandis, non immodica abſtinentia , ſed frugali, & moderato utendum cibo & vino docebat Syneſius, ad naturam confugiebat potius , quam ad artem, Socraticorum , Platonicorumque more Philoſophorum , qui, ubi de ſanandis, purgandiſque animis egerunt, a phyſicis auſpicati ſunt, inde ad Metaphyſica adſcendentes , quo demum ad Religionem devenirent : quam methodum Leibnitius ætate noſtra , in ſua illa *Concordia Rationis* , *&* *Religionis* imitatus perfectiſſime videtur .

Ex oppoſito quum Theurgi non a natura, ſed teleſtica ab arte , ſomnia , & viſiones præſertim Angelorum peterent , ac expectarent , heinc Initiandos ſuos non mediocri & frugali cibo & potu, ſed ſeveriſſima utendos abſtinentia præcipiebant, cujus ope ſe videre crederent , quæ abſque πεπανοφροσύνην illa , & inedia, revera non vidiſſent . Nempe , ut prudentiſſi-

me animadvertebat Divus Auguſtinus, Libro X. de Civitate Dei Cap. 16. *Theurgica pleraque ſpecie tenus mortalium ſenſus imaginaria ludifica-tione decipiunt*; ſcilicet, imaginationis modo, & phantaſiæ ope, plurima ſæpenumero adparebant. Quum vero fama apud Gentiles eſſet, quemadmodum citato loco ſcribebat Tullius, appropinquante morte multo diviniorem eſſe mortalium animum; *nam & id ipſum vident qui ſunt morbo gravi ac mortifero affecti, inſtare mortem: itaque his occurrunt plerumque imagines mortuorum: tumque vel maxime laudi ſtudent: eoſque, qui ſecus quam decuit, vixerunt, peccatorum ſuorum tum maxime pœnitet*; heinc & Myſtagogi Proſelytos ſuos, dum initiarentur, accedere dicebant, ut videbimus, *Confinium mortis*; eoſque idcirco ad Viſiones præparabant Angelorum, per corpus aſperrimis jejuniis, diuturnaque caſtimonia, vigilia, & inedia male temperatum: quo certe in ſtatu quodcumque Theurgicis in Myſteriis prædicabatur eventurum, ſibi revera vidiſſe viderentur: quippe qui de Angelis, & Cœlitibus per Theurgicam Myſteriorum initiationem in ſomnio demum conſpiciendis tota die cogitaverant, ſi inedia, nimiaque confecti abſtinentia ſomno demum ſe de-

dediſſent, non poterant non videre in inſomniis quæ ſe ſe viſuros expectabant. Severiſſimas denique ejuſmodi abſtinentias, totamque παντηφορσιῶν, hoc eſt, univerſum illum dejectionis, abjectioniſque, caſtimoniæ & inediæ triſtem & aſperum adparatum fuiſſe in Myſteriis Theurgicis præceptum, non eſt cur miremur, quum Angelis præſertim in ſomnio evocandis ea omnia facta fuiſſe Myſtagogi ipſi, ac Theurgici Antiſtites non videantur apud Jamblichum *de Myſteriis* differentem inficiati. Verum ad ipſas Angelorum viſiones properemus.

CAPUT VI.

De Theurgicis Viſionibus, deque cultu, & mediatione Angelorum.

TAmetſi cum Auguſtino diximus, plurima Theurgicis in Myſteriis ſpecie tenus mortalium ſenſus imaginaria ludificatione decepiſſe, non inficiatur tamen idem Sanctus Pater, plerumque etiam Dæmones transfiguraviſſe ſe ſe in Angelos lucis, adeo ut Theurgis revera aliquando adparerent, præſertim in ſomnis. Et ſane, quamvis Theurgorum ars foret antiquiſſima, &, juxta doctiſſimos nonnullos Viros, cum Idololatria adeo conjuncta, ut hæc abſque illa eſſe non potuiſſe videretur; in deſuetudinem tamen abiiſſet, periiſſetque inter miniſtros præſertim, qui unum, aut

Digitized by Google

aut unitum corpus non conſtituebant, niſi Dæmones ipſi eam conſervare, fovere, & propagare ſategiſſent, perque viſiones & ſomnia eam ſæpeſæpius ad praxim revocare. Magno illo Naturæ ænigmate, perpetuoque Philoſophiæ Arcano, eum in finem Spiritus maligni utebantur, ſcilicet inſomniis, quorum de natura & cauſiis vix balbutire noverant Ethnici Sapientes, ut ex Macrobio patet in Somnium Scipionis; quare Arnobius, Libro adverſus Gentes 2. *Poteſt ne quiſquam ſcire quibus cauſis mergamur in ſomnos, quibus evigilemus, quibus modis fiant inſomnia, quibus viſa? immo, quod ambigit in Theæteto Plato, vigilemus aliquando, an ipſum vigilare quod dicitur, ſomni ſit perpetui portio? & quid agere videamur, inſomnium cum videre nos dicimus?* Et ſomni quidem, eſto fugientes opprimat, fugiat inſequentes, adferri rationes poſſunt. Quam denſæ tenebræ tamen ſunt, ſi petimus, aut inquirimus rationem ſomniorum! Formeyus, qui *Tomo Miſcellaneorum Philoſophicorum I. num* 5. eorum cauſſas, varietatem, & incredibilem, infinitamque prope complexionem ex machinali corporis ſtatu, exque ipſius phyſicis modo ſenſationibus deducere, explicare, ac ſtatuere nuper

per conatus eſt, quamvis acutiſſimus & doctus, veteribus profecto Ethnicis ſomniare viſus eſſet. Noverant quippe ſomnia plurima nonniſi a Spiritibus quibuſdam immitti. Hinc ut in delectu argumentorum, & ſcriptorum Syllabo, qui veritatem Religionis Chriſtianæ aſſeruerunt, Cap. 48. Scribebat Joannes Albertus Fabricius: *Non abſurde judicavit, qui profeſſus eſt, eum, quiſquis primus Spiritus hoſce Deo inferiores dari vel obſervavit, vel docuit, magnum lumen attuliſſe rebus, & magna caligine philoſophiam liberaſſe.* Quam ſententiam ex Plutarcho hauſiſſe ſe oſtendit Fabricius de oraculorum defectu, ubi Græcus hic auctor Perſarum antiquiſſimos, & Thracum, & Ægyptiorum, & Phrygum Græcorumque docet in eo conſenſiſſe. Pervia igitur magis via ad Religionem, & ad Deum in machina deſcendentem confugere compellebantur Philoſophiæ etiam addicti Gentiles, quo præcipue Divinationem per ſomnia vindicarent explicarentque, quemadmodum præſtabat olim Poſidonius, cujus theorias celebrat, refertque Tullius, Libro de Divinatione I. ſcribens: *Sed tribus modis cenſet Deorum appulſu homines ſomniare. Uno quod prævideat animus ipſe per ſe ſe, quippe qui Deorum cognatione teneatur. Altero,*

quod

quod plenus ſit aer immortalium animorum, in quibus tamquam inſignitæ notæ veritatis appareant. Tertio, quod ipſi Dii cum dormientibus colloquantur. Poſteriores hæ divinationem per ſomnia naturalem explicandi rationes quum populariores forent, & antiquiſſimæ receptiſſimæque conſonæ opinioni de aere Angelorum & Archangelorum Legionibus referto propterea confeſtim probatæ cunctis Gentilibus fuere, viſionibus tum Theurgicis, & Myſteriorum, tum aliis etiam habitis per quietem, explicandis. Quid enim innumeri tot Spiritus noctu in aere feciſſent, niſi viſa, ut conſequebantur Ethnici, oſtendiſſent dormientibus, & futura aliquando, non ſemel etiam cœleſtia denotaſſent?

Aliqua ſane ſomniorum viſa a Dæmonibus excitari & urgeri omnes docuere Sancti Patres ſacrarum ducti doctrinis Litterarum. Quamquam ejuſmodi in tenebris vagantes Dæmones niſi mala ſomnia non objicere exiſtimaverint, ut aliquibus patet ex Hymnis Cathemerinon Aurelii Prudentii: quorùm malorum maximum prædicatio, & propagatio erat falſæ Religionis ac Idololatriæ; quemadmodum querebatur Divus Auguſtinus Libro XXI. de Civitate Dei, Cap. 6. ubi habet: *Illiciuntur autem Dæmones*

ad

ad inhabitandum per Creaturas, quas non ipſi, ſed Deus condidit, delectabilibus, pro ſua diverſitate diverſis, non ut animalia cibis, ſed ut Spiritus ſignis, quæ cujuſque delectationi congruunt, per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum. Ut autem alliciantur ab hominibus, prius eos aſtutiſſima calliditate ſeducunt, vel inſpirando eorum cordibus virus occultum, vel etiam fallacibus amicitiis apparendo, eorumque paucos, Diſcipulos ſuos faciunt, plurimorumque Doctores. Neque enim potuit, niſi ipſis primum docentibus, diſci, quid quiſque illorum appetat, quid exhorreat, quo invitetur nomine, quo cogatur, unde Magicæ artes, eorumque Artifices extiterunt. Maxime autem poſſident corda mortalium, qua potiſſimum poſſeſſione gloriantur, cum ſe tranſfigurant in Angelos lucis. Quamvis heic viſiones, & adparitiones generatim omnes Dæmonum tangat Auguſtinus, quæ frequentes revera fuiſſe videntur apud Ethnicos, quum ejuſmodi nocturnis præcipue Viſionibus ipſorum ſcateant Hiſtoriæ, quibus Philoſophi utebantur Divinationi vindicandæ, uti legere eſt apud Tullium Libro indicato; attamen ſingulatim eos reſpexit Sanctus Pater, qui, Angelica-

carum Viſionum obtinendarum ergo , Spiritus adorabant ; ideoque præſertim notare voluit Theurgos , quippe Ethnici non deerant , Deorum quidem ſtrenui Cultores , ſed de illis conſpiciendis minime ſolliciti ; quum Philoſtratus , in Vita Apollonii Tyanenſis , Libro I. Cap. 32. ita hunc loquentem induxerit : *Ego enim Pythagoræ Samii ſapientiam amplector , qui me Deos hoc modo colere , eoſque ſive videndos ſe præbeant , ſive minus ,* ὁρωμένων τε καὶ οὐχ ὁρωμένων , *mente complecti ; commercia item frequentare cum iis docuit* . Quapropter pura ſe uti linea veſte , abſtinere ab animatis & a vino , pro Pythagoricis decretis , ſubjiciebat . Verum Auguſtinus ſermonem de illis habens , qui Deorum conſpectu per quietem fruebantur , eosque videre quam maxime optabant , ut in artibus animi purgandi ab ipſis inſtituerentur , oſtendit allegato loco animum ſe in Theurgicas Hieraticorum viſiones intendiſſe .

Totum revera Librum ſuum de Civitate Dei X. ſcripſit Sanctus Pater contra eos , qui purgationem & liberationem animæ per cultum & mediationem Angelorum quærebant , poſcebantque , ita Capite I. totius argumentum Libri auſpicatus : *Omnium certa ſententia eſt , qui*

ra-

ratione quoquo modo uti poſſunt, *beatos eſſe omnes homines velle*. *Qui autem ſint*, *& unde fiant*, *dum Mortalium quærit infirmitas*, *multæ magnæque Controverſiæ concitatæ ſunt*, ſcilicet Philoſophorum, de quibus octavo ſe jam dixiſſe Libro meminit; in eo autem, quem aggreditur, illos oppugnaturum ſe ſpondet, qui *plurimis Diis religione*, *ſacriſque ſerviendo*, beatam ſe vitam indeptum iri confidebant; illos, inquam, *qui multos Deos colendos ita putaverunt*, *vel putari voluerunt*, *ut quidam eorum etiam Dæmonibus divinos honores Sacrorum*, *& Sacrificiorum deferendos eſſe cenſerent*; itaque videndum eſſe ac diſſerendum, *immortales ac beati in cœleſtibus Sedibus*, *Dominationibus*, *Principatibus*, *Poteſtatibus conſtituti*, *quos iſti Deos*, *& ex quibus quoſdam vel bonos Dæmones*, *vel nobiſcum Angelos nominant*, *quomodo credendi ſint velle a nobis Religionem*, *pietatemque ſervari*; *hoc eſt*, *ut apertius dicam*, *utrum etiam ſibi*, *an tantum Deo ſuo*, *qui noſter etiam eſt*, *placeat eis*, *ut Sacra faciamus*, *& ſacrificemus*, *vel aliqua noſtra*, *ſeu nos ipſos Religionis ritibus conſacremus*. Hoc autem Idololatriæ genus, hanc Theurgiam quam egregie oppugnet Auguſtinus, dici ſatis non poteſt; illius quippe Libri

Ca-

Capite 19. ita ſermonem concludit : *Cum ergo ad unum Deum quidam Angeli, quidam vero ad ſeipſos latria colendos ſignis mirabilibus excitent: & hoc ita, ut illi iſtos coli prohibeant ; iſti autem illum prohibere nôn audeant, quibus potius ſit credendum reſpondeant Platonici, reſpondeant quicumque Philoſophi, reſpondeant Theurgi, vel potius Periurgi ; hoc enim ſunt illæ artes vocabulo digniores*, Leonardus Coquæus conjiciebat heic legendum *Periergi* ; ſed id corrumpere adluſionis elegantiam objecit Johannes Pherepo-nus, ſive Clericus, in adnotationibus ad hunc Auguſtini locum ; cui tamen neque probatur vox *Periurgi*, quæ eſt in textu, ceu minus uſitata ; nam quamvis dicatur θεουργὸς a vocibus θεὸς & ἔργον, ut κακουργὸς, πανουργὸς, χειρουργὸς, & ſimilia ; propterea non ſequi ex περὶ & ἔργον fieri περιουργὸν, ut norunt uſus, & analogiæ periti. Cæterum quod ad rem pertinet ſignificatam, addit Clericus ; recte Auguſtinum intendiſſe in ſuperſtitioſas luſtrationes, quibus plena erant Theurgorum Sacra. Ideo vero Philoſophos Platonicos haud minus quam Hieraticos ipſos, ac Theurgos heic appellat Sanctus Pater, non quod illi æque, omnes ſaltem, aut Angelos colerent, aut Myſteria Theurgorum frequentarent ;

tarent; ſed, ut videbimus in loco, quia, Chriſtianorum in odium, Theurgiam, veluti puriorem & honeſtiorem idololatrici cultus partem, ſibi ſumpſere vindicandam.

Sed jam de Angelorum Viſionibus dicamus. Hæſiſſe aliquando viſus eſt Auguſtinus, an Theurgis Angeli mali revera adparerent, quum ſcripſerit Libro de Civitate Dei X. Cap. 10. *Qui illas ſordidas purgationes ſacrilegis ritibus operantur, quaſdam mirabiliter pulchras vel Angelorum imagines, vel Deorum, tamquam purgato ſpiritu vident; ſi tamen vel tale aliquid vident, illud eſt quod Apoſtolus dicit, quoniam Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis. Ejus enim ſunt illa phantaſmata, qui miſeras animas multorum falſorum Deorum fallacibus Sacris cupiens irretire, & a vero Dei cultu, quo ſolo mundantur, & ſanantur, avertere, ſicut de Proteo dictum eſt, formas ſe vertit in omnes, hoſtiliter inſequens, fallaciter ſubveniens, utrobique nocens.* Hæſiſſe, inquam, videtur aliquando Auguſtinus, dubitaſſeque, an in Theurgicis Myſteriis Initiati aliquid revera viderent per quietem ac cernerent, quemadmodum & Capite 16. de prodigiis Theurgica Arte perpetratis; aliquibus eorum ſiquidem recenſitis,

ſub-

ſubſidit ; *Hæc ergo , atque alia ejuſmodi , nequaquam illis , quæ in populo Dei facta legimus virtute , ac magnitudine conferenda ſunt : quanto minus ea , quæ illorum quoque Populorum , qui tales Deos coluerunt , legibus judicata ſunt prohibenda, atque plectenda, Magica ſcilicet, vel Theurgica ? quorum pleraque ſpecie tenus mortalium ſenſus imaginaria ludificatione decipiunt* . Et tandem Cap. 27. ita iterum de Viſionibus Theurgicis : *Theurgi vero illi , vel potius Dæmones , Deorum ſpecies figuraſque fingentes , inquinant potius , quam purgant humanum ſpiritum falſitate phantaſmatum , & deceptoria vanarum ludificatione formarum* . Verum tametſi prope omnia , quæ Theurgi videre ſe in Myſteriis jactabant , vel impoſturæ & mendacio , vel imaginationis errori aſſerenda eſſe rectiſſime judicaret Sanctus Pater ; nonnulla adhuc tamen e tenebrarum Angelis in Angelos transfiguratis lucis , repræſentari quoquomodo potuiſſe , immo & aliquando fuiſſe repræſentata , prudenter non negavit , quemadmodum ex allegata ipſius dicendi ratione intelligimus , exque iis , quæ habet Libro XXII. de Civitate Dei Cap. 22. ubi ſcribit : *Ipſe poſtremo ſomnus , qui proprie quietis nomen accepit , quis verbis*

explicet, ſæpe ſomniorum viſis quam ſit inquietus, & quam magnis licet falſarum rerum terroribus, quas ita exhibet, & quodammodo exprimit, ut a veris eas diſcernere nequeamus, animum miſerum ſenſumque perturbet? Qua falſitate Viſorum etiam Vigilantes in quibuſdam morbis & venenis miſerabilibus agitentur, quamvis multimoda varietate fallaciæ homines etiam ſanos maligni Dæmones nonnunquam decipiant talibus viſis, etiamſi eos per hæc ad ſua traducere non potuerint, ſenſus tamen eorum ſolo appetitu qualitercumque perſuadente falſitatis illudunt. Ante Auguſtinum ſcripſerat Tertullianus, Libro de Anima: *Definimus a Dæmoniis plurima incuti ſomnia, etſi interdum vera, & gratioſa; ſed de qua induſtria diximus, affectantia, atque captantia, quanto magis vana & fruſtratoria, & turbida, ludibrioſa, & immunda*. Quot Oracula revera per quietem accepta a Gentilibus fuere, quæ niſi Dæmonum illuſionibus non ſunt afferenda? Qui enim Sacerdotum artibus univerſum illud negotium tribuendum eſſe exiſtimavere Dalenius, Fontanellæus, aliique pauci, egregie jam a Balto confutati ſunt in Opere illius argumenti Parte II. Cap. XI. Et falluntur profecto qui

Dæ-

Dæmones exiſtere inficiantur, aut nullimode operari contendunt; mala enim, quæ perpetrant, exiſtentiæ Dei, ipſiuſque perfectionum non leve ſunt argumentum, quemadmodum Johannes Conradus Schvartzius oſtendit in oratione inaugurali *de uſu, & præſtantia Dæmonum ad demonſtrandam naturam Dei*. Sane quomodo fieri poterat, ut herbis, odoribus, aut ſimilibus, mentes captantium ſomnia ita agi potuiſſent, ut Angelos, Deoſque, aut ea, quæ expectabant Reſponſa, in ſomno denique videre ſe demum viderentur, intelligere, & accipere? Novimus recentes fateor Circulatores, qui medicamina proponerent roborandæ imaginationi ad ſomniandum de quo valde cogitaveris deſtinata & apta. Quotuſquiſque fuit tamen, qui eorum uſu ſe ſe apoplectici ictus, aut phrenetici morbi periculo ſubjicere voluerit? Nullus certe: quum viginti contra ſpatio Sæculorum Oracula inſomniis captaverint Mortales. Heinc omnium fuit Theologia Sanctorum Patrum, ut ex Balto palam eſt, inſomniis ſe ſe Dæmonas immiſcuiſſe, quamvis neque naturalia, ut dicimus, negaverint inſomnia, neque phantaſiæ ludibria in pluribus eorum, quæ ab Angelis, aut a Dæmonibus, aut Theurgicæ vi artis

excitata & producta jactabantur. Hanc profecto temperatam prudentemque cogitandi Patrum rationem ſi tum ætatis noſtræ Dæmonographi, tum ipſorum etiam adverſarii iniiſſent, ampliorem conſequuti fuiſſent laudem, neque in extrema abiiſſent: quod pervium nimis in rebus ejuſmodi erratum, quæ ejus ſunt generis, ut periculoſum ſit credere, & non credere; ſemperque adfirmare, aut negare ſemper.

Eam moderationem tamen non habuere Deorum Cultores, & Angelorum, qui illuſionibus, ac præſtigiis decepti, Angelos, Deoſque in ſomnis ſe videre gloriabantur. *Etiam per quietem Deos videmus, audimus, agnoſcimus*, inquiebat Cæcilius adhuc Ethnicus apud Minucium Felicem *in Octavio*. Quas equidem Angelorum, Deorumque viſiones non vulgus modo jactabat, ſed Ethnicorum quoque ſagaciores, Celſus apud Originem, Strabo, Marcus Antoninus Imperator, Elianus, Julianus Apoſtata, Eunapius, Svetonius, Tacitus, fuſe a Bilto allegati. Cæteris vero vehementius Angelorum & Archangelorum apparitiones prædicabant Theurgi, ceu cœleſtium illuſtratione mentium & congreſſu purgati Initiatorum animi, cum Diis demum ipſis unirentur. Univerſam

ſam hujus rei Theoriam proſequitur Jamblichus toto *de Myſteriis* Libro, præſertim ubi Theurgus Sacerdos inducitur Porphyrio reſpondens Sectionis I. Cap. 9. admirationemque, immo indignationem proteſtatus ſuam illa de Philoſophorum Claſſe, quæ Deos, & Angelos a terris ablegabat, *velut omnem prorſus auferret Religionem, ac Theurgicam illam, quam homines cum Diis habere poſſunt ſocietatem*. ὅλως δὲ τῆς ἱερᾶς ἁγιστείας καὶ τῆς θεουργικῆς κοινωνίας θεῶν πρὸς ἀνθρώπους ἀναίρεσις ἐστιν αὕτη ἡ δόξα, κ. τ. λ. Sequi videlicet, ſubdebat, ex illa cogitandi ratione, Divinas & Angelicas naturas a terris ſemotas habitare, nec umquam cum hominibus verſari; deſertum ab iis eſſe noſtrum hunc Orbem; nil Theurgos, & Sacerdotes ab Angelis didiciſſe, nil Initiatos cæteris Mortalibus præſtare: quæ omnia monſtri loco habenda eſſe Theurgus ille contendebat. Et eam quidem de procuratione Angelorum erga inferiora, atque homines doctrinam a Patriarchis vetuſtiſſimos Mortalium, & Chaldæos derivaſſe diximus, ex Chaldæis vero varios Angelorum Ordines, & nomina Theurgos, atque etiam Judæos hauſiſſe; & ab Eſſenis Angelorum nomina fuiſſe diligenter cuſtodita, ſed publicum Judæorum morem mini-

 me

me fuiſſe Angelos compellare, niſi eos, qui ipſis adparebant, ne in Idololatriam tanto labore exutam relaberentur, ut Patres etiam docuere. Angelicorum igitur Ordinum doctrina apud hos ex Sacris Literis certiſſima, ſed, ob earumdem Sacrarum Literarum Economiam, haud ſatis prioribus Patribus ratio differentiæ Angelicorum ejuſmodi Ordinum comperta; negabat enim Irenæus docere poſſe quemquam diverſitates, *Dominationum*, *Principatuum*, *&* *Poteſtatum*. Auguſtinus autem ad Laurentium Cap. 58. *Quid inter ſe diſtent quatuor illa vocabula, quibus univerſam ipſam cœleſtem Societatem videtur Apoſtolus eſſe complexus, dicant qui poſſunt, ſi tamen poſſunt probare quod dicunt: ego me iſta ignorare fateor*. Qua etiam de cauſſa fuere, qui Dionyſium poſt Auguſtinum vixiſſe, verisimile arbitrentur. Oppoſitum apud Theurgos contingebat, qui tamquam in Angelorum conſortium familiariſſimum admiſſi, de ratione & differentia Angelicorum Ordinum aperte diſſerebant. Id ſane ex Sacerdote Theurgo, a Jamblicho in Libro *de Myſteriis* inducto, patet, qui Sectione I. Cap. 20 Deos tum viſibiles, tum etiam inviſibiles, Dæmonas quoque, & eorum diſcrimina explicabat a conjunctione

ctione, ſæparatione, intelligentia, officiis, providentia, eſſentia, puritate. Sectionis II. Cap. 1. de Angelorum, Archangelorumque, & Deorum agebat differentiis, ob naturas, vires, & operationes. Capite 3. præconceptas eorum apparitiones commentabatur pro varietate Ordinum, & inter cætera ajebat: Ὡς δὲ καθ' ἕκαστον διορίσασθαι μονοειδῆ μὲν ἐςὶ φάσματα τῶν θεῶν, κ. τ. λ. *Sed ut ſingulatim hæc determinem, Deorum quidem phaſmata ſimplicia ſunt, Dæmonum verò varia; Angelorum ſimpliciora ſunt quam Dæmonum; inferiora vero quam ſunt Deorum: Archangelorum paullo propius divinas ad cauſſas accedunt; Archontum phaſmata, qui & mundi ſunt Rectores, quique ſublunaria Elementa gubernant, varietatem quidem habent, ſed & ordinem, & ornatum; ſi vero ii ſunt, qui materiam moderantur, & præſunt, apparent quidem ſub majori varietate, ſed imperfectiores ſunt, quam Principes. Et Dii quidem ſalutares viſui affulgent; Archangeli terribiles ſimul & mites; Angeli adhuc mitiores &c. . . . Rurſus Deorum viſa prorſus ſunt immutabilia magnitudine figura, ſchemate, omnibuſque ad ſe pertinentibus; Archangeli Diis proximi ſunt, ſed non aſpirant ad eorum identitatem. Angelorum Epiphania*

adhuc debiliores ſunt &c. Alias deinde adfert in adparitionibus Angelorum inanes differentias, ex quibus tamquam ex proprietatibus, eorum de natura judicium ferre ſolitos Theurgicis Initiatos in Myſteriis contendit, nempe ex celeritate, ex tarditate, auctoritate, emphaſi, magnitudine, & latitudine Imperii, claritate, lumine, atque igne. Reſpectu vero ad animam, & materias, Deos vim habere ſomniabat, quæ materiam repente abſumeret; Archangelos pauco tempore eam devorare; Angelorum eſſe ab ea ſolvere, & nos ſurſum revocare; Archontes adſtare ei, & ſuper eminere, eoque modo ſe oſtendere; cætera ut prætereamus, quæ profecto Theurgi numquam viderant; ſed de quibus tamen, ac ſi ea jugiter atque intime vidiſſent, ad inſaniam uſque differebant, Angelicæ virtutis & efficaciæ portenta.

Jam enim vero præcipuum ejuſmodi Angelorum Theurgicis in Myſteriis cultorum munus, pretium, beneficium, & præmium creditam fuiſſe mediationem inter homines & Deos ex pluribus palam ex Sacerdotis hucuſque allegati, apud Jamblichum teſtimoniis, atque ex innumeris Divi Auguſtini locis, ubi illis Philoſophis reſpondet, qui Theurgiæ patro-

trocinium ſuſceperant, eamque Chriſtianæ pietati opponebant. Libro ſiquidem de Civitate Dei VII. Cap. 18. ſcripſit inter cætera: *Fruſtra igitur Apulejus, & quicumque ita ſentiunt, hunc Angelis detulit honorem: ſic eos in aere medios inter, & æthereum cœlum terramque conſtituens, ut quoniam nullus Deus miſcetur homini, quod Platonem dixiſſe perhibent, iſti ad Deos perferant preces hominum, & inde ad homines impetrata, quæ poſcunt. Indignum enim putaverunt; qui iſta crediderunt, miſceri homines Diis, & Deos hominibus: dignum autem miſceri Dæmones & Diis, & hominibus, hinc petita qui allegent, inde conceſſa qui apportent: ut videlicet homo caſtus, & ab artium Magicarum ſceleribus alienus, eos Patronos adhibeant, per quos illum Dii exaudiant*. Quæ ad verba adnotat Ludovicus Vives, idcirco á Theurgis, quemadmodum ab aliis etiam Gentilibus, Angelos appellatos fuiſſe Adminiſtros, & Salutigerulos, quorum illud pertineret ad Deos, quibus Dæmones miniſtrabant; alterum ad homines, quibus ſalutem gerere a Diis credebantur; ita & Angelos a Capella, aliiſque, Genios appellatos, propterea quod noſtra Superis renunciarent acta, quod gerundis præſtare exiſtimarentur rebus. Il-

Illud ſane ab Auguſtino rurſus memoratum, Capite allegati Operis 20, ubi ſcripſit: *At enim urgens cauſa & arctiſſima cogit Dæmones, medios inter Deos, & homines agere, ut ab hominibus offerant deſiderata, & ad eos referant impetrata. Quænam tandem cauſa eſt iſta, & quanta neceſſitas? Quia nullus, inquiunt, Deus miſcetur homini.* Contra hanc Theurgorum doctrinam copioſe diſputat Sanctus Pater Libro præſertim de Civitate Dei XIX. Cap. 9. ubi de amicitia loquens Sanctorum Angelorum, quam homini hoc in mundo minime eſſe cenſet adſpectabili, & conſpicuo commercio manifeſtam, contra atque Hieratici jactabant, ſuis qui cum Angelis agere ſe, & in eorum adparitionibus converſari imaginabantur, ita pergit: *In ſocietate vero Sanctorum Angelorum, quam Philoſophi illi, qui nobis amicos eſſe Deos voluerunt, quarto conſtituerunt loco, velut ad mundum venientes ab Orbe terrarum, ut ſic quodammodo complecterentur & cœlum: nullo modo quidem meminimus, ne tales amici morte nos ſua, vel depravatione contriſtent. Sed quia nobis non ea qua homines familiaritate miſcentur, quod etiam ipſum ad ærumnas hujus pertinet vitæ, & aliquando Satanas*

transfigurat ſe in Angelum lucis ad tentandos eos, quos ita vel erudiri opus eſt, vel decipi juſtum eſt: magna Dei miſericordia neceſſaria eſt, ne quiſquam cum bonos Angelos amicos ſe habere putat, habeat malos Dæmones amicos fictos, eoque tanto nocentiores, quanto aſtutiores, & fallaciores patiatur inimicos. Et cui magna iſta Dei miſericordia neceſſaria eſt, niſi magnæ humanæ miſeriæ, quæ ignorantia tanta premitur, ut facile iſtorum ſimulatione fallatur? Et illos quidem Philoſophos in impia Civitate, qui Deos ſibi amicos eſſe dixerunt, in Dæmones incidiſſe certiſſimum eſt, quibus tota Civitas ſubditur, æternum cum eis habitura ſupplicium. Ex eorum quippe Sacris, vel potius ſacrilegiis, quibus eos colendos, & ex ludis immundiſſimis, ubi eorum crimina celebrantur, quibus eos placandos putaverunt, eiſdem ipſis authoribus, & exactoribus talium tantorumque dedecorum, ſatis ab eis qui coluntur apertum eſt. Et Angelos quidem Patriarcharum ætate fuiſſe cum illis familiari & adſpectabili commercio converſatos, ſacra Hiſtoria docet; idque conſtans, notumque fuit adeo, ut rei ejuſmodi memoriam, Heroica celebrantes tempora, poſteriores quoque Ethnici interpolata Traditione adſervaverint;

ita

ita ſiquidem Catullus Libro ad Gornelium Nepotem :

Præſentes namque ante domos inviſere caſtas
Nereus, & ſe ſe mortali oſtendere cœtu
Cœlicolæ, nondum ſpreta pietate ſolebant.

Alios etiam Deos frequens comparuiſſe memorat, ſed poſt imbutas ſcelere terras averſam fuiſſe Deorum mentem ſubjicit :

Quare nec tales dignantur viſere cœtus,
Nec ſe contingi patiuntur lumine claro.

Erant, inquam, imagines ejuſmodi ex Angelicarum veritate adparitionum adumbratæ; eo propterea Deorum cum hominibus commercio vetus Mythologia referta eſt; atque ex eo vires & incrementum accepit ſuum Theurgia. Porro veros bonoſque Angelos per aſſumpta ſibi corpora adparentia ſerioribus adhuc temporibus viſos, & nunc quoque comparere poſſe, docet Divus Thomas I. Parte Quæſtione LI. Articulo 2. *ut familiariter cum hominibus converſando*, ſicut ille ait, *demonſtrent intelligibilem ſocietatem cum eis habendam in futura vita*. Quæcumque hæ ta-

tamen, aut olim, aut deinde factæ adparitiones Angelorum, neque cultu, neque Myſteriis, aut Theurgica arte a Cultoribus veræ Religionis fuerunt umquam evocatæ; quare Theurgico hoc Angelorum cum hominibus commercio Chriſtianos carere Auguſtinus jure ſtatuebat, neque cum nobis ea ratione Angelos miſceri, qua ſe frui gloriabantur, qui Theurgica Myſteria celebrabant.

Suam quippe mentem nitidiſſime nobis manifeſtat Hipponenſis Pater, dum de Angelorum mediatione clarius & expreſſius differit adverſus Philoſophos Theurgicorum Myſteriorum Vindices, ac Laudatores. Ita quippe Cap. 24. *Sed ſubditus Porphyrius invidis Poteſtatibus, de quibus & erubeſcebat, & eas libere redarguere formidabat, noluit intelligere Dominum Chriſtum eſſe Principium, cujus incarnatione purgamur. Eum quippe in ipſa carne contempſit, quam propter ſacrificium noſtræ purgationis aſſumpſit; magnum ſcilicet Sacramentum ea ſuperbia non intelligens, quam ſua ille humilitate dejecit verus benignuſque Mediator; in ea ſe oſtendens mortalitate mortalibus, quam maligni, fallaceſque Mediatores non habendo ſe ſuperbius extulerunt, miſeriſque hominibus adjutorium deceptorium, velut*

lut immortales mortalibus, promiſerunt. Bonus itaque, veruſque Mediator oſtendit peccatum eſſe malum, non carnis ſubſtantiam, vel naturam .... Hunc ille Platonicus non cognovit eſſe Principium, nam cognoſceret purgatorium. Neque enim caro Principium eſt, aut anima humana; ſed Verbum, per quod facta ſunt omnia. Non ergo Caro per ſe ipſam mundat, ſed per Verbum a quo ſuſcepta eſt. Hæc eſt mediatio, qua manus lapſis, jacentibuſque porrecta eſt. Et rurſus Libro ejuſdem Operis IX. Cap. 15. ita pergit: *Nec tamen ob hoc mediator eſt Chriſtus Jeſus, quia Verbum; maxime quippe immortale, & maxime beatum Verbum longe eſt a mortalibus miſeris; ſed mediator per quod homo, eo ipſo oſtendens utique ad illum non ſolum beatum, verum etiam beatificum bonum non oportere quæri alios mediatores, per quos arbitremur nobis præventionis gradus eſſe moliendos, quia beatus, & beatificus Deus, factus particeps humanitatis noſtræ, compendium præbuit participandæ Divinitatis ſuæ. Neque enim nos a mortalitate & miſeria liberans, ad Angelos immortales beatoſque ita perducit, ut eorum participatione etiam nos immortales & beati ſimus, ſed ad illam Trinitatem, cujus & Angeli*

geli participatione beati ſunt . Ideo quando in forma ſervi , ut mediator eſſet , infra Angelos eſſe voluit : idem in inferioribus via vitæ , qui in ſuperioribus vita . Sublimem hanc , altiſſimamque de Chriſti mediatione doctrinam , qua docemur fuiſſe ipſum quidem mediatorem ſecundum humanam naturam , haud eſſe tamen ipſius mediationem ita humanæ naturæ tribuendam , ut excludantur dignitas & valor , quæ ab infinitæ dignitate Perſonæ proficiſcuntur , arcanam hanc , inquam , & profundiſſimam doctrinam , quam opportune & recte opponit heic Auguſtinus principiis & doctrinis Philoſophorum , quia Theurgiam vindicabant ! Quum enim illi Chaldaica quidem ac Theurgica Hieraticorum Gentilium Myſteria , additis Ægyptiacis tamen , atque Græcis , ſive Platonicis , Pythagoreiſque placitis , ac præconceptis , propugnarent : quare homines ſolo a Principio , æterna ſcilicet a mente purgari poſſe conſtituerent ; quumque æterna mens humanis & corporeis uniri rebus nullo modo juxta ipſos , poſſet ; propterea Angelorum mediationem beatæ illi unioni conſequendæ neceſſariam eſſe tuebantur . Adverſus igitur ejuſmodi hypotheſim ponit Hipponenſis Antiſtes , Chriſtum , quatenus

nus Verbum eſt, principium æque humanæ purgationis eſſe, quippe quod humanæ unitum carni, eam ſuapte natura adeo malam non eſſe ita oſtenderit, ut ſanari purgarique non potuerit. Ideo verum hominem factum fuiſſe Dei Verbum docere pergit Auguſtinus, ut ſic humanæ unitum carni mediationem exerceret inter homines, & Deum; quia etiamſi quatenus Verbum conſpicuo modo uniri cum hominibus non poſſet; ſtatim atque tamen divini Perſona Verbi induit, aſſumpſit, ſuſcepit, & ad ſe tranſtulit, & traxit, ſibique phyſice conjunxit humanitatem, adeo ut eam, tamquam ſibi propriam, ſuique factam juris immearit, rexerit, egeritque; tunc & adſpectabili modo viſum eſt Verbum ab hominibus, & cum illis conjunctum eſt propter aſſumtam humanitatem. Arcanam proinde Chriſtianorum doctrinam, & arcaniora Religionis Chriſtianæ Myſteria, arcanis, ut rebantur, Theurgorum cogitatis, & dicendi modis opponit heic Auguſtinus. Nempe illi nullum Deum hominibus miſceri exiſtimantes, propterea arbitrabantur, Angelos eſſe oportere Mediatores inter homines, & Deos, ſive divinam mentem, juxta Philoſophos Theurgizantes, ideoque Angelorum cultum, ac Theurgica

gica Sacra neceſſariam eſſe ad purgationem animi, & ad unionem ipſius cum Deo obtinendam, rationem & viam. Verum, quum magis unitum, & cum hominibus adſpectabili etiam modo conjunctum per Incarnationem fuerit Verbum ipſum cujuſcumque liberationis & purgationis Principium, quam quod aut cum Principio, aut cum hominibus conjungi, & uniri umquam Angeli potuerint; ſequi oportebat, Chriſtum mediatoris munus ſatius exercere potuiſſe; & revera exercuiſſe; quia licet quatenus Deus infinitum a nobis diſtet, aſſumta tamen humanitate noſtra, compendium illius non modo liberandæ purgandæque præbuit, ſed etiam participandæ Divinitatis ſuæ; quare Angelorum quorumcumque, immo potius peſſimorum, & divini æmulorum cultus mediatio ſupervacanea & irrita eſſe intelligatur. Vera hæc porro mediationis Chriſti in Myſteriis Chriſtianorum Theoria, detegit, ac patefacit quænam mediationis Angelorum Theoria fuerit in Myſteriis Theurgorum.

CAPUT VII.

De Virtutibus, & perfectionibus Theurgicis.

AD extremas accedimus Theurgorum jactationes, quibus aſſeclas ſuos illudebant. Quum enim, ut diximus, numquam homines omnino amiſerint notionem aliquam trium Naturæ humanæ ſtatuum, innocentiæ ſcilicet, corruptionis, & reparationis, Traditione quadam vel imperfectioribus in Sectis conſervata; ita nativo quoque ſenſu intellexere, non poſſe niſi per virtutes animum corruptum reparari. Et Philoſophi quidem, ſaltem plurimi, purgare animum poſſe ſe credebant virtutibus opera Philoſophiæ acquiſitis. Verum ii, qui philoſophari non poterant, fa-

ciles

ciles præbebant aures Sacerdotibus Gentilium, qui, ante Chriſti præcipue adventum, viam, & media animæ purgandæ proponebant, Religionibus publicis, & communibus puriora; quique Theurgicas extollebant virtutes, quas in Myſteriis & Angelorum cultu ab Initiatis perfectioribus obtentum iri oſtentabant. Duo enim illa in ſpeciem quam maxime honeſta ſpondebant Hieratici, ac Theurgi, puriora ſcilicet ſanctioris vitæ & conſuetudinis inſtrumenta & media, purgationemque & liberationem animæ, & ipſius conjunctionem cum Diis.

Quamvis vero diverſæ admodum eſſent virtutes Theurgicæ a moralibus, quum illas nil aliud quam perfectiones quaſdam, cæremoniarum, & Angelorum opera obtentas eſſe crederent; has vero in recta animi diſpoſitione ad operandum juxta rationem, & legem ſitas eſſe non ignorarent; pervium credere tamen eſt, Theurgos has etiam poſteriores prædicaſſe, velut idoneam ad priores conſequendas præparationem & viam, quod ex Auguſtin. quoque deduci poteſt, Libro de Civitate Dei II. Cap. 4. ubi demonſtrare aggreſſus Sanctus Pater, Cultores Deorum nulla a

 Diis

Diis umquam ſuis præcepta probitatis accepiſſe, excipere quodam tamen modo Theurgica videtur Myſteria, ſcribens: *Nec nobis neſcio quos ſuſſurros pauciſſimorum auribus anhelatos, & arcana velut religione traditos jactent, quibus vitæ probitas caſtitaſque jactatur.* Clare vero magis ejuſdem Libri Cap. 26. ubi de ſecretis agens malorum Angelorum monitis, quæ ad bonos pertinebant mores, ſcripſit: *Perhibentur Dæmones tamen in adytis ſuis, ſecretiſque penetralibus, dare quædam bona præcepta de moribus, quibuſdam veluti Electis ſacratis ſuis. Quod ſi ita eſt, hoc ipſo callidior advertenda eſt, & convincenda malitia ſpirituum noxiorum. Tanta eſt enim vis probitatis, & caſtitatis, ut omnis, vel pæne omnis, ejus laude moveatur humana natura, nec uſque adeo ſit turpitudine vitioſa, ut totum amittat ſenſum honeſtatis. Proinde malignitas Dæmonum, niſi alicubi ſe, quemadmodum ſcriptum in noſtris litteris novimus, transfiguret in Angelum lucis, non implet negotium deceptionis. Foris itaque Populos celeberrimo ſtrepitu impietas impura circumſonat, & intus paucis caſtitas ſimulata vix ſonat. Præbentur propatula pudendis, & ſecreta laudandis. Decus latet, & dedecus patet: quod malum*

lum geritur omnes convocat Spectatores, quod bonum dicitur; vix aliquos invenit Auditores: tamquam honeſta erubeſcenda ſint, & inhoneſta glorianda. Sed ubi hoc, niſi in Dæmonum templis? Ubi, niſi in fallaciæ Diverſoriis? Illud enim fit, ut honeſtiores, qui pauci ſunt capiantur; hoc autem, ne plures, qui ſunt turpiſſimi, corrigantur. Egregie diſtinguit heic Auguſtinus ludos occaſione feſtorum in honorem Numinum celebratos, ac turpia plurima Ethnicorum cultus adminicula, quæ in gratiam Vulgus uſurpabantur; Populique communem Religionem, a Myſteriis, quæ Electi, & Sacrati, occulta, aut arcana cum Sacerdotibus collatione facta, in abdytis, veluti majori gratia Sanctitatis, inibant; & in quibus mali Angeli, transfigurantes ſe ſe in Angelos lucis, ut ibidem ſubdit Sanctus Pater, *ſuſſurrabant in occulto verba juſtitiæ, ad decipiendos etiam paucos bonos*, eos ſcilicet, qui purgare a ſordibus animum cupiebant, liberationemque animæ, & ipſius cum Diis unionem exoptabant.

Neque exiſtimandum tamen, ejuſmodi in Myſteriis traditum a Theurgis fuiſſe illud officiorum genus, quod Græci κατόρθωμα appellant, Latini rectum, aut recte factum, omnes nu-

meros moralis virtutis continens, juxta quod a medio diſtinguebatur, in præceptis vitæ communis poſito; ſublimius quippe, ut ſibi quidem videbantur, virtutum inſinuabant genus, utpote ad Angelos, & ad Deos relatum, quibuſcum animum uniri negabant poſſe terrenis adhuc cogitationibus, & vitiis irretitum. Quamvis enim in Myſtagogiæ Vindiciis, dum Theurgi a Philoſophis provocarentur, ea etiam tangerent moralis præcepta vitæ, & principia: quare Sacerdos a Jamblicho inductus, ſuæ methodum doctrinæ exponens, in Libro *de Myſteriis*, ſectionis I. Cap. 2. inter cætera illud æque jactaret: *Præſtabimus certe, ut de Theologicis Theologice, deque Theurgicis Theurgice reſpondeamus; Philoſophica autem Philoſophicum in examen revocemus; atque ex his quæcumque primas ad cauſſas pertingant, per prima principia nos una tendentes in lucem producemus. Quæ autem de moribus aut finibus dicta ſunt, juxta moralem methodum, ut oportet, diſquiremus.* καὶ τὰ μὲν θεολογικὰ θεολογικῶς, θεουργικὰ δὲ θεουργικῶς ἀποκρινούμεθα. φιλοσοφικῶς δὲ τὰ φιλοσοφικὰ μετὰ σοῦ συνεξετάσομεν, κ. τ. λ. Quamvis, inquam, ita ſe ſe gererent dum Diſputatio poſtularet; aſt ex iis, quæ Sectionis II. Cap. XI. ſubjiciebat, intelligimus,

gimus, diverſam apud Theurgos fuiſſe Teleſticarum, ac Theurgicarum notionem virtutum a notione virtutum Civilium, & Philoſophicarum; inquit enim in illa ad Philoſophum Porphyrium reſponſione Abammon Sacerdos: *Sed quum hæc non ſatis plene a te dicta ſunt, quod deeſt, addam; & quandoquidem philoſophice & logice potius*, ἀλλ' ὀχὶ κατὰ τὴν ἐνεργὸν τῶν ἱερέων τέχνην, *quam ex arte Sacerdotum verba facis, ideo cenſeo oportere de Diis diſputare* θεουργικώτερον *magis ex principiis, formuliſque Sacerdotum*; qui diverſa a Philoſophis procedebant ratione, ac via.

Sane, ſi dictis Theurgorum fides eſſe poſſet, viderentur illi teleſticis de cæremoniis non alia de cauſſa ſolliciti fuiſſe, quam ut revera ſe ſe, ut putabant, a paſſionibus animi purgarent, & ad veras erigerent virtutes. Quid enim Theurgus apud Jamblichum, Sectionis I. Capite decimotertio? Ea profecto: *Sed & ratio poteſt reddi ſupplicationum, quibus divinam iram procuramus, ſi recte intelligamus qualis Deorum ira ſit. Atque ea quidem non eſt, ut nonnullis videtur, inveterata quædam, & permanens iracundia, ſed beneficæ Deorum curæ averſio quædam; quam quidem curam ubi nos me-*

tipſi averterimus a nobis , tamquam a luce meridiei nos abſcondentes tenebras nobis accerſimus , & bona Deorum indulgentia nos ipſi privamus . Poteſt autem placatio nos iterum reſtituere in participationem divinam , & providentiam divinam a nobis divulſam , iterum ad ſe communicandum invitare , & debito modo participantes cum participatis mutuo connectere . Tantum igitur abeſt , ut patibilitatis interventu opus ſuum expleat illa placatio , ut nos etiam revocet ab omni averſione a Diis , quæ paſſionibus & perturbationibus plena eſt . Sive igitur per Deos , ſive per Dæmonas , hujuſmodi fiat luſtratio , eos ſane tamquam auxiliatores , & malorum averruncatores , & ſervatores invocat , & per eos procul ablegat omnem , quæ ingruere a paſſionibus poſſet , noxam . Καὶ δὴ καὶ αἱ τῆς μήνιδος ἐξιλάσεις ἔσονται σαφεῖς , ἐὰν τὴν μῆνιν τῶν θεῶν καταμάθωμεν , κ. τ. λ. Ea ſane verba , quibus ait divina de beneficentia , quam nos ipſimet avertimus a nobis , dum , paſſionibus obſecundantes , tenebras nobis accerſimus , & a divina luce nos abſcondimus ; ea , inquam , & ſimilia verba , ſi de uno & vero dicta fuiſſent Deo , ſacris cum Litteris conſonarent . Nos enim a Deo noſmet avertimus , & peccata noſtra nos a Deo ſeparant : re-

recedente Sole ingruunt tenebræ, recedente Deo incumbit malorum cohors, ut heic phraſi Interpretis utamur.

Sed jam ſuperiore Capite ſatis diximus de fine, quemadmodùm jactabant Theurgi, ejuſmodi Myſteriorum, ut Anima ſcilicet noſtra ſanaretur; utque tolerabiliora haberet mala, quæ ei per geneſim adnaſcuntur, a vinculis liberaretur ſuis, atque a noxis ſolveretur. Nam, ut citatus ajebat Theurgus Sectionis X. Cap. 7. *Haud exiguis de rebus Theurgi divinam interpellant mentem, ſed de iis, quæ ſpectant ad Animæ purgationem, ſolutionem, & ſalutem. Sed neque difficilia iidem meditantur, hominibuſque interim inutilia; ſed ex oppoſito res Animæ omnium utiliſſimas.* οὐδὲ περὶ σμικρῶν οἱ θεουργοὶ τὸν θεῖον νοῦν ἐνοχλοῦσιν, ἀλλὰ περὶ τῶν εἰς ψυχῆς κάθαρσιν, καὶ ἀπόλυσιν, καὶ σωτηρίαν ἀνηκόντων, κ. τ. λ. Eadem inquiebat Porphyrius apud Divum Auguſtinum Libro X. de Civitate Dei Cap. XI ubi hic ſcribit: *Cæterum illos, quibus converſatio cum Diis ad hoc eſſet, ut ob inveniendum fugitivum, vel prædium comparandum, vel propter nuptias, vel mercaturam, vel quid hujuſmodi, mentem divinam inquietarent, fruſtra eos videri dicit Porphyrius coluiſſe ſapientiam. Illa etiam ipſa*

Nu-

Numina, cum quibus converſarentur, etſi de cæteris rebus vera prædicerent, quoniam tamen de Beatitudine nihil cautum, nec ſatis idoneum monerent, nec Deos illos eſſe, nec benignos Dæmones, ſed, aut illum qui dicitur fallax, aut humanum omne Commentum. Puriora adeo, & perfectiora cæteris vulgarium Numinum Myſteriis ſua Theurgi ducebant. Verum heic de Theurgicis, ideſt, de virtutibus proprie teleſticis ſatius dicendum eſt, quæ perfectiones verius, cœleſteſque mentis illuſtrationes, & animi habitus, & qualitates a Theurgicis derivatæ cæremoniis credebantur, & quarum efficacia animus philoſophicarum etiam expers virtutum in ſtatum induci jactabatur poſſe quacumque naturalis virtutis conditione perfectiorem.

Hæc enim jam vero Teleſtica ac Theurgica Angelorum Myſteria, potius quam vulgaria cætera, videtur reſpexiſſe Nicephorus Scholiis in Syneſium ſcribens: *Teleten Ethnici appellant Myſteriorum communicationem, veluti perficientem eos, qui Sacris initiati ſunt. Præterea ad animi affectionem habitumque accedentes, hujus communicationis gratia adoptatos, eximios, & perfectos vocant*. Τελετὴν δὲ φασι τὴν

τῶν

τῶν Μυστηρίων μεταδιδόασιν, ὡς πλεῖστον τὰς μυουμένας· ἔτι δὲ τὰς εἰς ἕξιν ἐλθούσας τῆς παραδόσεως ταύτης τετελεσμένας, καὶ τελέως φασί. Theurgus revera jam ſæpe adeo citatus, in Libro *de Myſteriis* Jamblichi, Sectionis I. Cap. 1. ita præfabatur: *Manifeſtum eſt ex ipſis rebus, Theurgicam operationem eſſe ipſam animæ ſalutem. Siquidem, dum beatas ſpeculatur anima Viſiones, aliam adſpicitur vitam, alioque operatur modo, adeo ut ſibi amplius hominum in cenſu minime eſſe videatur. Neque immerito illud quidem; ſæpe enim ſuam exuit vitam, & actione Deorum beatiſſima commutat.* Ejuſdem Sectionis Cap. 15. ita pergit: *Non enim per potentias aliquas, aut organa Dii preces ad ſe recipiunt: immo vero in ſe continent religioſorum hominum effecta, & illorum præcipue, qui per pietatem, & religionem Diis ipſis conſecrati, & uniti ſunt: tunc enim plane Divinum Numen ſibi ipſi præſens eſt; neque ut alienum quid percipit precum ſenſa.* Sectionis II. Cap. 6. rurſus de perfectionibus Initiato cuique, Myſteriorum efficacia, & beneficio, conceſſis: *Dii adventantes ſanitatem corpori adferunt, animæ virtutem, menti puritatem, omneſque noſtras facultates in propria principia reſtaurant, Archangelorum adparitio eadem quoque adfert munera &c.* ἀλλὰ κ' μὲν τῶν

θεῶν

θεῶν παρουσία δίδωσιν ἡμῖν ὑγιείαν σώματος; κ. τ. λ.
Heinc Apulejus, qui mendacia ejuſmodi beneficia, ac effecta irridere conſtituerat in allegato Metamorphoſeon Libro, & populari ea deſcribere ratione, narratis, ut retulimus, initiationis ſuæ cæremoniis, ita proſequebatur: *Quæris forſitan ſatis anxie, quid deinde dictum? Quid factum? Dicerem, ſi dicere liceret, cognoſceres, ſi liceret audire. Sed parem noxam contraherent aures, & linguæ temerariæ curioſitatis. Nec te tamen deſiderio forſitan religioſo ſuſpenſum, angore cruciabo. Igitur audi: ſed crede quæ vera ſunt. Acceſſi confinium mortis, & calcato Proſerpinæ limine per omnia vectus elementa remeavi. Nocte media vidi ſolem candido corruſcantem lumine, Deos inferos, & Deos ſuperos acceſſi coram, & adoravi de proximo.* Et mox in altera initiatione: *Denique poſt dies admodum pauculos, Deus Deûm magnorum potior, & majorum ſummus, & ſummorum maximus, & maximorum regnator Oſiris, non in alienam quampiam Perſonam reformatus, ſed coram, ſuo illo venerando me dignatus affamine.* Quæ pinguiori licet Minerva, & leniter mordaci ſtylo pronunciata, ad Theurgorum tamen oſtentationes alludebant.

Illi

Illi vero tamquam de re omnino ſeria diſſerentes, oratione graviſſima Theurgicas perfectiones, ab Angelorum, ac Deorum viſionibus profectas celebrabant; ita quippe Theurgus Abammon, Sectionis III. Cap. 31. *Dii, quotquot veri ſunt, dant vera tantum bona, & bonorum modo virorum conſuetudine utuntur; cumque iis converſantur ſolis, qui per Sacra rite purgati fuere, a quibus etiam omne vitium, omnemque paſſionem præſcindunt. Hi quoties affulgent, in bonorum mentes, quicquid erat malum, aut a Dæmone profectum, fugit ad conſpectum meliorum, veluti tenebræ ante Solem: neque vel tantillum valet amplius pios turbare Sacrificatores, qui proinde omnimodam virtutem indipiſcuntur, fiunt moribus optimi, & elegantiſſimi, a paſſionibus liberi, & ab omni irregulari motu: ab omnibus denique atheis & impiis defæcantur moribus.* Ὅσοι μὲν θεοὶ τῆς ἀληθείας, τῶν ἀγαθῶν εἰσι μόνως δοτῆρες, μόνοις τε τοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσι προσομιλοῦσι, καὶ τοῖς διὰ τῆς ἱερατικῆς ἀποκεκαθαρμένοις συγγίνονται, κ. τ.λ. Denique Sectionis X. Cap. 6. Orationem veluti abſolvens, ita Myſteriorum Theurgicorum terminum concludit: *Poſtquam autem Theurgia tum mundi partibus ſingulis, tum etiam divinis Poteſtatibus per partes mundi diſ-*

diffuſis , animam mundi conciliaverit , tunc eam Opifici univerſali ſiſtit , & apud ipſum deponit , liberatamque ab omni materia , cum ſolo æterno Verbo connectit . Planius dicam . Theurgia ipſi Dei Poteſtati , per ſe genitæ , per ſe mobili , omnia ſuſtentanti , intellectuali , omnia exornanti , intelligibilem revocanti ad veritatem , perfectæ , & perficienti , Poteſtatibuſque cæteris Dei Opificibus , gradatim pro cujuſque proprietatibus ita cooptat , ut in actionibus earum , intelligentiiſque Architectonicis , anima , ſacris peractis , perfecte confirmetur ; & tum demum in toto Demiurgo animam collocat . Et hic finis eſt ſacræ apud Ægyptios Anagoges . Ἐπειδὰν δὲ κατ' ἰδίαν ταῖς μοίραις τῶ παντὸς συνάψῃ καὶ ταῖς διηκούσαις δι' αὐτῶν ὅλαις θείαις δυνάμεσι, κ. τ. λ. Univerſum igitur Theurgiæ negotium Angelis , Archangelis , Spiritibus , eorumque Epiphaniis , ut rebantur , ac Viſionibus perſici peragique credebatur ; quare ipſorum ope , auxilio , & mediatione eum non modo Initiati conſequerentur animi ſtatum , quem rigidi , ut ita dicam , proprieque dicti Philoſophi diuturno tantum ac improbo indeptum iri docebant virtutum exercitio ; ſed illum adhuc , quo ab omni purgatam & defæcatam ſorde , immo omnibus ornatam perfe-

ctio-

ctionibus Initiatorum animam Superis ſiſterent mediatores Angeli, liberatamque ab omni materia cum Diis ipſis collocarent. Nam quod Demiurgo de Deo comminiſcitur heic Jamblichus, Ægyptiam, & Græcam potius, quam proprie Chaldaicam, ac Theurgicam reſpicit Anagogen, vel Myſtagogiam Philoſophica temperare ratione voluit; primus enim veluti a ſuprema mente a Platonicis habebatur Demiurgus; Supremum autem Deum teleſticis purgationibus & Sacrificiis commoveri poſſe eorum plurimi inficiabantur, ut ex Luctatio, Arnobio, & Lactantio, docet heic Jamblichi Interpres; dum ex oppoſito Theurgi proprie tales, Myſtæ ſcilicet, ac Sacerdotes, reſpicerent Deos tantum ſuos. Sed quot, & quanta Platonici recentiores, Theurgiæ Vindices, in ipſis immutaverint Artis Theurgicæ Vindiciis; quot & quanta propugnaverint a Hieraticorum ſenſu aliena, ſtatim oſtendemus.

CA-

CAPUT VIII.

De Purgationibus Philoſophorum.

Theurgiam hucuſque explicavimus, quo conſequeremur, Apoſtolum eam præſertim reſpexiſſe, dum ad Coloſſenſes ſcripſit: *Nemo vos ſeducat volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ &c.* Videtur nobis tamen fore, ut id jure inferre non poſſimus, niſi prius de illis, qui Theurgicas exercuere artes, pertractemus; earum ſiquidem Miniſtris detectis ac oſtenſis, quibus nam Paulli verba aptari debeant, patebit. Quoniam vero animis purgandis, liberandiſque inducta diximus Theurgica Myſteria, illiſque animi liberationi & purgationi operam præ cæ-

teris Philoſophi dedere, heinc, an iidem eum in finem Myſteriis uterentur, inquiramus. Nullus inter veteres Philoſophos de virtutibus & perfectionibus animi adeo ſollicitus fuiſſe dicitur, quam Socrates, qui primus omnium, uti monuit Tullius, Libro Quæſtionum Academicarum I. aliiſque in locis, a rebus fertur occultis, & ab ipſa natura involutis, in quibus ante eum Philoſophi occupati fuerant, avocaviſſe Philoſophiam, & ad vitam communem traduxiſſe, ut de virtutibus, & vitiis, omnique de rebus malis quæreret; Cœleſtia autem procul eſſe a noſtra cognitione cenſeret; vel ſi maxime cognita eſſent, nihil tamen ad bene vivendum. Notionem rei, ac diſcrimen inter ipſius, aliorumque Veterum Philoſophiam tradit Auguſtinus, Libro VIII. de Civitate Dei Cap. 3. ſcribens: *Cum ſtudium Sapientiæ in actione & contemplatione verſetur, unde una pars ejus activa, altera contemplativa dici poteſt: quarum activa ad agendam vitam, ideſt, ad mores inſtituendos pertinet, contemplativa autem ad concipiendas naturæ cauſas, & ſinceriſſimam veritatem: Socrates in activa excelluiſſe memoratur; Pythagoras vero magis Contemplativæ, quibus potuit intelligen-*

tiæ viribus inſtitiſſe ; Plato utrumque jungendo, Philoſophiam perfeciſſe laudatur . . . . Socrates primus univerſam Philoſophiam ad corrigendos componendoſque mores flexiſſe memoratur : cum ante illum omnes magis phyſicis, ideſt naturalibus rebus perſcrutandis, operam maximam impenderint . Non mihi autem videtur poſſe ad liquidum colligi, utrum Socrates, ut hoc faceret, tædio rerum obſcurarum & incertarum ad aliquid apertum & certum reperiendum animum intenderit, quod eſſet beatæ vitæ neceſſarium ; propter quam unam omnium Philoſophorum invigilaſſe, & laboraſſe videtur induſtria ; an vero, ſicut de illo quidam benevolentius ſuſpicantur, nolebat immundos terrenis cupiditatibus animos ſe extendere in Divina conari ; unde purgandæ bonis moribus vitæ cenſebat inſtandum, ut deprimentibus libidinibus exoneratus animus, naturali vigore in æterna ſe attolleret, naturamque incorporei, & immutabilis luminis intelligentiæ puritate conſpiceret . Si morali Philoſophia & diſciplina purgatus animus, naturali deinde vigore, juxta Socratem, poterat in æterna ſe ſe attollere ; aut ſi Cœleſtia procul a noſtra cognitione, nihil ad bene vivendum præſtabant, Deorum profecto Myſteriis, animæ purgandæ,

dæ, & virtutibus indipiſcendis, utendum Philoſophus ille non duxit, & an uſi fuerint ejus Diſcipuli, incertum. Nam, ut animadvertit Tullius, Libro de Oratore III. quum eſſent plures Philoſophi orti fere a Socrate, quod ex illius variis, & diverſis, & in omnem partem diffuſis diſputationibus alius aliud apprehenderat, proſeminatæ ſunt quaſi familiæ diſſentientes inter ſe, & multum disjunctæ & diſpares, quum tamen omnes ſe Philoſophi Socraticos & dici vellent, & eſſe arbitrarentur.

Varro, omnium Contemptor Sacrorum, & qui *ubique Expugnator Religionis* dictus eſt a Servio ad Æneados XI. dominationis arcano univerſum illud Myſteriorum negotium aſſerebat, quippe *de Religionibus loquens*, ut ipſius utar verbis ab Auguſtino allegatis, Libro de Civitate Dei IV. Cap. 31. *Multa eſſe vera*, dicebat *quæ non modo vulgo ſcire, ſed etiam, tametſi falſa ſint, aliter exiſtimare Populum expediat; & ideo Græcos Teletas, & Myſteria taciturnitate, parietibuſque clauſiſſe*. Omitto ſuperbum illorum Philoſophorum genus, qui fortunam a Deo peti poſſe permittebant, contendentium tamen a nobis ipſis ſumendam eſſe ſapientiam. Illi profecto, tametſi, æconomia

agendi quadam, Religiones coluiſſent, numquam Myſteria frequentaviſſent tamen animis a labe liberandis purgandiſque, & eiſdem per ritus & cæremonias uniendis cum Deo. De Diogene autem Cynico refert in ejus vita Laertius: *Quod Athenienſibus poſtulantibus, ut initiaretur, & affirmantibus, initiatos in honoratiori ſede conſiſtere; ridendum futurum fore dixerit, ſi Ageſilaus, & Epaminondas in cœno verſarentur; quidam autem nulla virtute præſtantes, eo quod initiati fuerint, in Beatorum inſulis degerent.* ἀξιούντων ἀθηναίων αὐτὸν μυηθῆναι, καὶ λεγόντων, ὡς ἐν ἅδου προεδρίας οἱ μεμυημένοι τυγχάνουσι, κ. τ. λ. Idque præterpropter Julianus Cæſar Oratione VI. refert, his verbis: *Quum Diogenes hominem eum, qui ſe talium admoneret, neglecta vitæ honeſtate, ſola initiatione gloriantem cerneret, caſtigare ſimul ipſum, & docere voluit, iis quidem, qui dignam Initiatorum religione vitam inſtituerint, etiamſi nondum initiati ſint, integra apud eos manere præmia, improbos vero nihil amplius ex eo conſequi, quod in interiorum Adyta penetraverint.* Ut ſimilia mittamus aliorum inter veteres Philoſophorum cogitata, Myſteriorum virtuti aperiſſime adverſa.

Soli igitur inter antiquos Philoſophos Myſteria

ſteria frequentaſſe videntur Pythagoræi, & Platonici. Pythagoram namque omnibus fere Græcis, barbariſque Myſteriis initiatum fuiſſe, & a Sacerdotibus Chaldæis rationem animæ Theurgicam per artem liberandæ didiciſſe, ex antiquiſſimis Auctoribus oſtendimus, Capite hujus Commentarioli 3. De ipſius vero Diſcipulis ita ſcribebat Clemens Alexandrinus, Libro Stromatum V. *Noluerunt obviis quibuſcumque omnia inverecunde exponi, neque communicari ſapientiæ bona iis, qui de animabus ſuis repurgandis ne per ſomnium quidem cogitaſſent: neque enim fas eſſe ducebant cuique de vulgo ea porrigere, quæ tot laboribus conſtarent; neque Profanis Dearum Eleuſiniarum Myſteria enarrare.* Τοῖς τυχοῦσιν ὀυκ ἤθελον ἀναίδην ἐκ χεῖρας ταῦτα, κ. τ. λ.. Ad Eleuſinia Myſteria ſunt, qui Platonem æque reſpexiſſe contendant, ubi de Teletis egit; tametſi Plurimi Philoſophum hunc non aliam admiſiſſe purgationem animi velint, quam per Philoſophiam. Equidem gravioribus criminibus inquinatos, ut ἀνιάτους, ſive inſanabiles, poſt mortem in Tartarum abjici tradebat Plato in Phœdone, & Libro X. de Republica. Platonis autem Diſcipulos expiatricibus minus tribuiſſe cæremoniis ex eo patet, quod de Conſtantino

Magno a Gentilibus perlatum refert, ac ſimul arguit Sozomenus, Libro I. Cap. 5. quaſi nempe ille, poſt Criſpi filii cædem περὶ καθαρμῶν de expiatione conſuluerit Sopatrum, Gentilem, & e Plotini Schola Philoſophum; a quo reſponſum tulerat: μηδένα καθαρμὸν εἶναι τῶν τοιούτων ἁμαρτημάτων. *Nullam eſſe ejuſmodi ſcelerum expiationem.* Jam vero qui cæremoniis Deorum vim delendi crimina negabant, quomodo eorumdem Deorum Myſteriis virtutem perficiendi animum conceſſiſſent? Id igitur a Philoſophia eos quæſiviſſe arbitrarer. Hanc ſua habere Myſteria tuebatur Plato, proptereaque in Epiſtola II. ad Dionyſium Siciliæ Tyrannum data, ſcribens philoſophice de Deo, per enigmata ſe modo id facturum proteſtabatur, ut ſi quid tabellæ ſuæ vel mari, vel terra contingeret, qui eam legeret, intelligere non poſſet, iterum immo, atque iterum Dionyſium precatus, ut quum ſæpius eam legiſſet, ſtatim combureret. Marſilius Ficinus argumento in illam Platonis Epiſtolam, Myſteria in ea contenta interpretari ſatagens, ſcribit inter reliqua: *Negat profecto Plato veritatem rerum a Deo dependentium haberi poſſe, niſi ipſa de Deo veritas habeatur. Præterea ſcito Platonem ipſum aſſidue in divinorum*

rum

rum inveſtigatione verſari conſueviſſe , & qui Platonem primo audiebant Divina contemplantem, ſolitos ſub nimio Divinorum ſplendore protinus caligare , diuque vexari , donec videlicet mentem denique tum ab affectibus ſenſuum , tum a phantaſiæ imaginibus ſegregarent . Quo quidem facto divina quadam ſorte , ideſt luce , veritatem non prius inventam reperiebant . Propterea Pythagoras , quem Plato noſter in omnibus veneratur , ſacra doctrinarum Myſteria ab exactiſſima expiatione mentis exordiebatur : præcipiebatque , & Plato ſimiliter præcipit , ne efferantur in Vulgum , ne Vulgus accepta perverſe , vel contemnat , vel incidat in errores . Si enim in Vulgum edideris , Deum nihil ex iis , quæ ſentiuntur , in ſe habere , vel te ridebunt , vel Deum eſſe negabunt . Hinc illud Lyſidis Pythagoræi ad Hipparchum : haud pium eſt Myſteria Philoſophiæ cum his communia facere , qui ne ſomniare quidem purificationem animi potuerunt . Sunt præterea nonnulla Myſteria Theologorum circa Deum , quæ non Vulgum modo , verum etiam Elegantes pleroſque fatigent . E quibus id unum eſt , nihil ex his quæ intelliguntur , abſolute de Deo adfirmari debere . Quicquid enim intelligentia definitum eſt , infra infinitum Deum exſtare com-

(npellitur . Ad hæc itaque ſecretiora Myſteria ita plerique Docti adhuc ſunt inepti , ſicut & Vulgus ad leviora , uſque adeo ut etiam nonnulli quamvis acumine , memoria , judicio valeant , diuque hæc audierint , nondum tamen perfecte comprehendant : quia videlicet , etſi ad alia quædam , tamen ad Theologica nati non ſunt ; vel ſi nati , non tamen congrue ad hæc eruditi atque educati ; vel ſi educati & eruditi , nondum tamen ætatis maturioris beneficio a perturbationibus ſegregati . Perturbatio vero , quia & movet , & per diverſa diſtrahit , & ad materiam trahit , idcirco alienam reddit mentem a Deo , quo nihil a motu , a diverſitate , a materia poteſt remotius cogitari . Quæ pluribus proſequitur hic Platonis Interpres , quin tamen intelligere poſſimus , qua nam ratione animum Platonici purgaverint, quod ad theologica illa Myſteria non modo ab effectibus ſenſuum , ſed etiam a phantaſiæ imaginibus purgati pervenirent ; præſertim quum in eo videntur demum fuiſſe Platonica illa Myſteria conſtituta , ut per ideas abſtractas mens noſtra comprehenderet naturam Dei immaterialem , ſimplicem , & infinitam . Aſt quomodo poſſet homo finitus , atque ex materia & ſpiritu compoſitus , comprehen-

hendere hac in vita id quod infinitum, ſimpliciſſimum, & immateriale omnino eſt? Nos quidem divina Revelatione, Fide, & lumine adiuti, beatam illam ſimplicem, immaterialem infinitamque eſſentiam exiſtere certi prorſus ſumus; ſed nativa vi eam intelligere, multo magis comprehendere, quo nam pacto valeremus? Incertum eſt igitur, an ſive Deorum vulgaria, ſive Theurgica Myſteria Plato ex animo admiſerit; præſertim quod ipſius in Diſputationibus & Scriptis diſtinguere opus ſit, quemadmodum aliis nos in Elucubrationibus animadvertimus, id quod ex omnium opinione, & receptiſſimo dicendi modo, ab eo quod proprio ex ſyſtemate docebat: prius enim illud vulgatis traditionibus, & Religionibus patriis favebat; alterum illis quammaxime adverſabatur: quam ſane agendi, diſputandique rationem M. Tullius imitatus eſt, qui Legislatoris veluti Perſonam agens in Libris de Legibus, ex veteri Jure Pontificio, Deorum turbam, cultumque, atque etiam Eleuſinia Myſteria commendavit; dum ex oppoſito, Philoſophum agens tot in Operibus, de exiſtentia Deorum in utramque partem Academico more diſſerebat; neque minimum de Myſteriis verbum

bum protulit in Libris de Divinatione, qui opportunus fuiſſet de ſomniis Theurgicis dicendi locus, ſi fas ea Philoſophum admittere duxiſſet.

Ut ut tamen Theurgica etiam Myſteria coluerint Pythagoræi, ac veteres Platonici, vetuſtiores ipſi tamen erant, quam quod ad eos reſpicere potuerit Apoſtolus, qui de ſui temporis Seductoribus per cultum & Religionem Angelorum ad Coloſſenſes ſcribebat. Quæſtio igitur eſſe poteſt de recentioribus Philoſophis, qui circa Chriſti tempora, aut exoriente Religione Chriſtiana floruere, deque recentioribus præcipue Platonicis, verius Eclecticis, Anonymis, Acephalis etiam appellatis, de quibus ita ajebat Auguſtinus Libro VIII. de Civitate Dei Cap. 12. *Recentiores Philoſophi nobiliſſimi, quibus Plato ſectandus placuit, noluerunt ſe dici Peripateticos, aut Academicos, aut Platonicos, ex quibus ſunt valde nobilitati Græci, Plotinus, Jamblichus, Porphyrius; in utraque autem lingua, ideſt, & græca, & latina, Apulejus Afer extitit Platonicus nobilis. Sed hi omnes, & cæteri ejuſmodi, & ipſe Plato Diis plurimis Sacra facienda eſſe putaverunt.* Quia vero horum nonnulli vindicandæ, ut jam ani-

animadvertimus; contra Objectiones Chriſtianorum, Idololatriæ cauſſa, puriorem, quam credebant, ipſius partem, nempe Theurgiam propugnandam ſibi ſumpſerant; heinc, factum, ut nonnulli eos cum Theurgis confuderint; & Eſtius, Vir doctiſſimus, ab Apoſtolo indigitatos ejuſmodi Philoſophos ſcripſerit in allegatis Commentarii ſui verbis: *Videtur, Apoſtolum agere contra quoſdam, qui ex Ethnica Philoſophia, quæ de Geniis, Dæmonibus, & minoribus Diis inaniter multa contemplabatur, cultum eorum introducere conati fuerint, ſub nomine Angelorum, docentes, nos mediantibus Angelis purgari oportere: nam & hoc Platonici quidam docuerunt*. Sane, nonnullos recentiorum ejuſmodi Platonicorum id docuiſſe verum eſt; haud videtur, verum tamen, eoſdem cæteris initiandis operam ſuam contuliſſe, fuiſſeque Theurgiæ Miniſtros & Sacerdotes; tametſi in iſtorum gratiam calamum contra Chriſtianos acuerunt, plurimaque in Theurgiæ favorem, quam intra ſe fortaſſe irridebant, protulere. Neque igitur ad iſtos reſpicere potuit Apoſtolus.

Quod ut oſtendatur, illud animadvertendum primo loco eſt, poſteriores ejuſmodi Platoni-

tonicos, eſſe revera Acephalos, Anonymos, Eclecticos nulla ratione potuiſſe, ſi omnibus de rebus inter eos conveniſſet; in eo conſentire quippe ſolum poterant, quod quiſque opinionem ac ſententiam eligeret, ac ſectaretur, quam mallet, aut probaret magis; præconcepta etiam in oppoſitam ſæpenumero mutata. Itaque ipſorum alii Myſteria propter diſciplinam, & commendationem vitæ, a Veteribus ſtatuta contendebant, alii in conſiderationem modo eorum, quæ in ipſis repræſentabantur; alii ſpecie ſaltem tenus nonnihil purgationibus Myſteriorum tribuebant; Teleſticas alii cæremonias illis ſolum utiles, atque etiam neceſſarias tuebantur, qui philoſophari non valebant; alii Platonicorum illorum de Philoſophicis virtutibus ita diſſerebant, ut eas ſolas exiſtimarent eſſe virtutes, propterea que purgationem animæ, & ipſius unionem cum Diis acquiri per Myſteria, cum Theurgis, & Sacerdotibus voluiſſe Jamblichum, Syrianum, & Proclum; Theurgiam aliquo modo utilem exiſtimare viſum Porphyrium, ex oppoſito ſenſiſſe Plotinum, & reliquos proprie dictos illius temporis Philoſophos, animæ purgationem, & unionem cum Deo, philoſophicis tantum ac moralibus conſequi

ſequi virtutibus poſſe ; animadvertit Thomas Galæus non ſemel , in ſuis ad Jamblichum adnotationibus ,

Hujus ut ſpecimen rei exhibeamus , vacat totam Plotini , inter Philoſophos illos celeberrimi , animæ purgandæ Theoriam , ac viam ex Macrobii Libro excribere in Somnium Scipionis, Cap. 8. ubi legimus : *Quatuor ſunt* , inquit Plotinus , *quaternarum genera virtutum . Ex his primæ Politicæ vocantur , ſecundæ purgatoriæ , tertiæ animi jam purgati ; quartæ exemplares . Et ſunt politicæ , hominis , qua ſociale animal eſt . His boni viri Reipublicæ conſulunt , Urbes tuentur , his Parentes venerantur , liberos amant proximos diligunt ; his Civium ſalutem gubernant , his ſocios circumſpecta prudentia protegunt , juſta liberalitate devinciunt* ,

Hiſque ſui memores alios fecere merendo .

& eſt politici prudentia ad rationis normam , quæ cogitat , quæque agit univerſa dirigere , ac nihil præter rectum velle ; vel facere , humaniſque actibus , tamquam divinis actibus , providere . Prudentiæ inſunt ratio , intellectus , circumſpectio , providentia , docilitas , cautio . Forti-

titudinis eſt, animam ſupra periculi metum agere, nihilque niſi turpia timere; tolerare fortiter vel adverſa, vel proſpera. Fortitudo præſtat magnanimitatem, fiduciam, ſecuritatem, magnificentiam, conſtantiam, tolerantiam, firmitatem. Temperantiæ nihil appetere pœnitendum in nullo legem moderationis excedere, ſub jugo rationis cupiditatem domare. Temperantiam ſequitur modeſtia, verecundia, abſtinentia; caſtitas, moderatio, parcitas, ſobrietas, pudicitia. Juſtitiæ ſervare unicuique quod ſuum eſt. De Juſtitia veniunt innocentia, amicitia, concordia, pietas, religio, affectus, humanitas. His virtutibus Vir bonus, primum ſui, atque inde Reipublicæ Rector efficitur, juſte, ac provide gubernans humana, divina non deſerens. Secundæ, quas purgatorias vocant, hominis ſunt, qui Divini capax eſt, ſolumque animum ejus expediunt, qui decreverit ſe a corporis contagione purgare, & quadam humanorum fuga ſolis ſe inſerere Divinis. Hæ ſunt otioſorum, qui a Rerumpublicarum actibus ſe ſequeſtrant. Harum quid ſingulæ velint, ſuperius expreſſimus, cum de virtutibus Philoſophantium diceremus, quas ſolas quidem exiſtimaverunt eſſe virtutes. Tertiæ ſunt purgati jam, defæcatique animi, & ab omni

Mun-

Mundi hujus aſperſione preſſe, pureque deterſi. Illic prudentiæ eſt, Divina non quaſi in electione præferre, ſed ſola noſſe; & hæc tamquam nihil ſit aliud, intueri. Temperantiæ, terrenas cupiditates non reprimere, ſed penitus oblivиſci. Fortitudinis, paſſiones ignorare, non vincere; ut neſciat iraſci, cupiat nihil. Juſtitiæ, ita cum ſupera, & divina mente ſociari, ut ſervet perpetuum cum ea fœdus imitando. Quartæ, exemplares ſunt, quæ in ipſa divina mente conſiſtunt, quam dicimus νοῦν vocari: a quarum exemplo reliquæ omnes per ordinem diffluunt. Ita ex Plotino Macrobius.

Ex prolixo autem adeo Eclectici hujus, ſive Philoſophi Platonici teſtimonio quid colligimus? Illud ſane, veros & proprios, etiamſi recentiores, Philoſophos, purgationem, liberationemque animæ, & unionem ipſius cum Deo, abs ſe obtentum iri ſperaſſe abſque Angelis, & Archangelis, abſque cultu, & religione ejuſmodi Deorum; ſed per ſolas virtutes purgatorias, & purgati jam animi, quas a communibus diſtinguebant. Virtutes illi Principes ponebant, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, juſtitiam, cujus partem dicebant Religionem, ſive pietatem, atque ſanctitatem;

tatem ; quemadmodum monebat etiam Auguſtinus Libro IV. de Civitate Dei Cap. 20. ſcribens : *Quandoquidem virtutem in quatuor ſpecies diſtribuendam eſſe viderunt , prudentiam , juſtitiam , fortitudinem , temperantiam . Et quoniam iſtæ ſingulæ ſpecies ſuas habent, in partibus juſtitiæ fides eſt* . Scilicet , ita pro Ethnicorum opinione Patres perſuaſionem illam appellabant , quam Gentiles ſuis habebant de Diis , deque rebus ad Deos pertinentibus ; quare & Cyrillus Hieroſolymitanus, Catecheſi V. de fide, num. 3. ita ſcripſit : *Neque vero apud nos tantum , qui Chriſti nomine cenſemur , magna eſt fidei commendatio ; verum etiam univerſa , quæ in mundo geruntur , & ab eis quoque , qui alieni ſunt ab Eccleſia , per fidem tranſiguntur . . . Nam etiamſi ſcripturas non recipiant , proprias vero quaſdam afferant doctrinas , eaſdem etiam per fidem recipiunt* . κἂν γὰρ μὴ δέχωνται τὰς γραφὰς , οἰκεῖα δέ τινα προσφέρουσι διδάγματα , πίστει κἀκεῖνα παραδέχονται . Quo cum facit Euſebius Libro I. Præparationis Evangelicæ , ubi ab omnibus Phœniciæ populis diligenter conſtantiſſimeque conſervatam ait τὸ πιστὸν τῶν λόγων fidem narrationum de Diis ſuis receptarum . Cæterum , Auguſtinus , de Philoſophorum doctrinis agens , philoſophica dicendi

ra-

ratione , Fidei nomen ad Religionem uſurpat denotandam ; nam & Marcus Tullius in Libris de Natura Deorum juſtitiam erga Deos pietatem eſſe dicebat , cujus fides par eſt ; & Speuſippus pietatem eo modo finiebat ; quare , juxta Philoſophos , Religio , pietas , & ſanctitas , nil aliud eſſent , quam amor rectitudinis , & moralis boni , & averſatio omnis impuritatis & peccati , adeo tamen ut pietas , ſanctitas , & Religio a virtute juſtitiæ procederent , & ab ea ſanctionem veluti haberent ; juſtitia vero a ſimilitudine , quam habebat , per imitationem & conjunctionem cum Mente divina. Dum igitur perfecte purgare animum Philoſophi ejuſmodi pergebant , eumque ab omni corporis contagione liberare , a vulgo ſe ſe quidem ſequeſtrabant, ut per meditationes, ecſtaſes, adflatus & raptus, ſolis intenderent divinis; ſed nil de Teleſticis cæremoniis ſolliciti erant , nil de cultu & mediatione Angelorum, in intenſius modo virtutum, & meditationum exercitium omni cura poſita ; juxta quod purgativas primum, atque theoreticas nactos ſe virtutes glòriabantur , animi deinde jam purgati , ut propius ad exemplares pervenirent ; quumque hæ in ipſa divina Mente , quam νοῦν vocabant eorum ſen-

tentia, reperirentur, inde ſe tum unionem cum Deo conſequutos inferebant, Angelorum mediatione & cultu, omnique Theurgia, & Myſtagogia Sacerdotum curæ & ſtudiis relicta.

Hujus teſtes rei ipſos dabimus, de quibus agimus, Philoſophos; ſiquidem Porphyrius, in vita Plotini, poſtquam narraſſet, eum vigili ſemper, puroque extitiſſe animo, & divinam ad Mentem erecto, cunctiſque viribus ſtuduiſſe ex amara hujus vitæ unda prorſus emergere, confeſtim ſubdit: *Hac igitur ratione, hoc beato lumine, quum ſæpe ſe ipſum attolleret toto animo ad primum Deum mente ſuperiorem, perque gradus omnes a Platone in Sympoſio diſpoſitos aſcenderet ad Divina, ipſi protinus coruſcavit Deus ille, nec formam, nec ideam habens aliquam, ſed ſuper intellectum, univerſumque intelligibile in ſeipſo conſiſtens: cui & ego Porphyrius non ſemel appropinquavi, ſuique conjunctus, quum annum octavum & ſexageſimum jam implerem. Quater autem, dum cum ipſo verſarer, hunc finem eſt aſſequutus, non potentia duntaxat, ſed actu quodam ineffabili conſequutus.* οὕτως δὲ μάλιςα τούτῳ τῷ δαιμονίῳ φωτὶ, πολλάκις ἐνάγοντι ἑαυτὸν εἰς τὸν πρῶτον καὶ ἐπέκεινα θεὸν ταῖς ἐννοίαις, κ. τ. λ. Nihil heic cæremoniarum, Theurgicæque operationis, ac viſionis; nullaque heic ſomnia,

nulla

nulla ſenſibilia ſigna, aut apparitiones, vel mediationes Angelorum, ſed mentis ſolum illuſtratio, per ecſtaſim veluti, & raptum, ſolaque ut ſomniabant, humanæ mentis conjunctio cum divina per comprehenſivam intelligibilis & infinitæ Eſſentiæ in ſe ipſa aſſequtionem.

Alii, fateor, inter illos Eclecticos dediti Theurgiæ videbantur, Jamblichus nempe, Syrianus, Proclus, Hierocles, Porphyrius; immo doctiſſimi viri ſunt, qui nullos Platonicorum ejuſmodi Philoſophorum ab illa labe vindicari poſſe docuere. Hos inter præſtat Cl. Maſſuetus, in prima Diſſertatione prævia ad Irenæi Libros contra Hæreſes, ubi Eclecticam Philoſophiam in Ægypto, & Alexandriæ ortam ante Chriſtum fuiſſe contendens, hiſce demum conatur oſtendere, quomodo factum, ut primorum temporum Hæretici, Apoſtolis Synchroni, Angelorum cultum, ac Theurgica veluti Myſteria adoptaverint: *Ex hac ſacrorum, profanorumque dogmatum mixtione, quæ Philoſophiam ornabat, totque portentoſis erroribus purgabat, perficiendæ, inſolentiuſque efferendæ doctrinæ ſuæ occaſionem opportune Ethnici captantes, ſuperbius adverſus Chriſtianos, quaſi Platonis exuviis ſeipſos ditaſſent, inſoleſcere, Chriſtianamque Reli-*

gionem contemnere cœperunt . Evanuit ex eorum ſcriptis ea Deorum , nulla vel ſibi invicem , vel nulli ſubjectioni colligatorum multitudo : pauciores apparuerunt , omneſque uni ſupremæ Divinitati , auguſtiori quam antea ſermone celebratæ , ſubjecti . Angelis , Archangelis , mentibus Cœleſtibus , ſexcentiſque aliis , quæ a Chriſtianis mutuati fuerant , ornata deinceps proceſſit eorum Theologia naturalis . De corporis ſenſuumque fuga , de cura animi , mentiſque cultu , & elevatione in Deum , de virtutibus colendis , debellandiſque vitiis magnifice ſcripſerunt , intentatumque nil reliquerunt , quo fucatam doctrinæ puritatem Euangelii ſanctitati opponerent . Duo tamen fuerunt , quibus , quicquid agerent , vanæ excuſationis velum ſic obduci non potuit , quin turpis infamiæ labes eorum Religioni ſemper adſpergeretur , Magia videlicet , & abominanda Sacrorum Myſteria , Eleuſinia præſertim , & Bacchanalia , ut alia ſileam . Ex Plotino ſiquidem , Porphyrio , Jamblicho , Eunapio , aliiſque , videas Philoſophos , perinde atque Myſtagogos , magicas artes exercuiſſe , nefandiſque Deorum Evocationibus ſtuduiſſe . Eorum quidem infamiam ſpecioſo nomine θεουργίας *Theurgiæ , & commercii ſacri cum Diis tegere nixi ſunt , ſed*

certe

certe abſtergere non potuerunt . Ad ſceleſta Myſteria quod attinet , de iis apud citatos Philoſophos ne verbum quidem , probe conſcios ſcilicet , iſta nulla ratione excuſari poſſe . Hæc omnia mox dicendis præmittere neceſſe fuit , ut inde pateret ex quibus fontibus manarint pleraque Gnoſticorum dogmata . Sive hi Judæi nati eſſent , ſive Pagani , ſive Chriſtianam Religionem ab incunabulis profeſſi fuiſſent , novorum Platonicorum doctrina eo facilius imbui potuerunt , quo jam apud Judæos Helleniſtas , immo & Palæſtinos , & in Ægypto longe lateque propagata fuerat , ex quo præſertim hoc philoſophandi genus in celebrem toto Orbe Scholam Alexandrinam ab Ammonio introductum fuerat , ad quod deinceps ſtudia ſua contulerant Origenes , Plotinus , Porphyrius , aliique tum Chriſtiani , tum Ethnici . Ex Philoſophia igitur Platonica priorum dogmata Hæreticorum profluxere . Ac primo quidem , ut a Gnoſticorum nomine incipiamus , quod arrogabant ſibi Simonis , Menandri &c. Valentini , & Ptolemai Aſſeclæ , a γνῶσις, ſeu ſcientia rerum ſupernarum , qua præ cæteris gloriabantur , deductum eſſe , norunt omnes . Eamdem ſermonibus ambitioſe jactantes Platonici , nihil frequentius habebant in ore , quam per-

perfectiſſimam γνῶσιν, *veram ſapientiam*, *intimam animæ unionem cum Deo*, *mentis elevationem in Deum*, *cognitionem atque ſcientiam veri Entis*, *cœleſtium rerum contemplationem*: *quæ apud Platonem*, *Plotinum*, *Porphyrium*, *Jamblichum*, *alioſque paſſim occurrunt*. Hucuſque Maſſuetus.

Illorum tamen Theoriam Philoſophorum altius repetere, ac deſcribere gravius videtur Lucas Holſtenius, in Diſſertatione de Vita, & Scriptis Porphyrii, Capite 9. ubi hujus de Opere agens, cui græce titulus fuerat: Περὶ ἀνόδου τῆς ψυχῆς, ſcilicet, *de aſcenſu*, ſive, *de reverſione animæ*, quam τῇ εἰς τὰ σώματα καθόδῳ *deſcenſui ipſius in Corpora* Platonici opponere ſolebant, animadvertit, ea, quæ, de duplici animæ purgatione Porphyrius eo Opere tractaverat, rectius intelligi ex iis, quæ ab Hierocle ad poſtremam partem Pythagorici Carminis περὶ καθαρμῶν καὶ λύσεως τῆς ψυχῆς, *de purgationibus*, *& liberatione animæ diſputantur*. Ita enim Pythagoras, ejuſque Sectator Plato ſenſerunt, ſubdit Holſtenius: animam humanam divinæ auræ particulam, dum relicta cœleſti ſtatione, ex univerſo animarum choro ad mortalem vitam, & terreni corporis com-

commercium per ætheriam regionem deſcendit, ibidem quamdam corporis ſpeciem aſſumere, quo ſpiritualis ejus eſſentia tamquam vehiculo ad inferiora hæc deferatur, & Elementorum regiones peragrantem varias inſuper induere tunicas, ordine ex Elementis conflatas; quibus circumcincta ita demum corpori ſe inſinuet. De vehiculi illius natura variæ fuere Platonicorum ſententiæ, ut ex Procli Libro V. in Timæum videre eſt: quorum alii univerſi naturam animæ currum eſſe voluerunt: alii aſtrum aliquod animæ congenitum: alii mixtum quid ex cœleſtibus ſphæris: alii concretum aliquid ex univerſo æthere. Sed quum animam ad inferiora vergentem eo fine corpori immergi crederent, ut a terreno affectu purgata, ad Deum authorem, & originem ſuam reverteretur, varias ſtatuerunt purgationum ſpecies, quarum beneficio mortalitatis vinculis exſoluta, pura, ac libera ad priſtinam εὐζωΐαν rediret. Et de iis quidem, quæ terreni corporis molem leviorem reddunt, quas in ſobria, & moderata victus ratione conſiſtere exiſtimabant, Porphyrius luculenter agit quatuor illis Libris *de Abſtinentia ab eſu animalium*: de reliquis autem duabus operæ pretium eſt videre Hieroclem pag. 305.

 ubi

ubi animam rationalem mathematicis diſciplinis purgari ait, ſolvi autem atque elevari τῇ διαλεκτικῇ τῶν ὄντων ἐποπτείᾳ contemplatione eorum, quæ vere ſunt: quam λύσιν ἀναγωγὴν appellat. Spiritalem vero animæ partem; ut Divus Auguſtinus Porphyrii verbis vocat; ſive τὸ πνευματικὸν τῆς ψυχῆς ὄχημα, &, ut iidem Platonici appellant, τὸ αὐγοειδὲς τῆς ψυχῆς σῶμα, ſive τὸ ψυχικὸν σῶμα, ſuam quoque purgationem, ſuamque exſolutionem habere affirmant: & mathematicis quidem purgationibus reſpondere τὰς τελεστικὰς καθαρμὰς purgationes Theurgicas; contemplationi autem mentali τὴν ἱερατικὴν ἀναγωγὴν communicationem cum Diis Myſteriorum ritibus obtentam. *Hæc enim*, ait Hierocles *proprie purgant, perficiuntque animæ rationalis ſpirituale vehiculum; & ſeparant illud a mortalitatis contagio, & ad mundorum ſpirituum congreſſus idoneum aptumque reddunt*. Sed operæ pretium erit, proſequitur Holſtenius, utriuſque Philoſophi verba diligenter inter ſe contendere: cum non ſolum alter alteri facem alluceat, ſed id quoque manifeſte eorumdem comparatione appareat non unum Porphyrium eo ſeculo illud ſuperſtitioſæ impietatis genus probaſſe; quod & antiquiſſimis quibuſque ante natum Porphyrium, & poſt

eum

eum recentioribus Academicis omnibus in uſu fuit : qui longe lateque terrarum Orbem peragrabant , ut omnibus omnium Deorum Sacris initiarentur : quod animum tot luſtrationibus a mortalium rerum contagione defœcatiorem reddi , & ad Dei , rerumque divinarum contemplationem magis aptum atque expeditum effici crederent . Addo etiam Hierocli non minus quam Porphyrio perſpectas fuiſſe Theurgicarum , ſive , ut ipſe vocat , ſacrarum artium præſtigias ; cum ita demum id purgationum genus probet , ſi ἱεροπρεπῶς , hoc eſt , ſacro ritu , non tralatitio Agyitarum more fiant . Ita Holſtenius .

Ego vero quamvis præſtantiſſimi hujus viri doctrinam maximi , ut par eſt , faciam , ac ſemper fecerim , ipſi tamen adſentiri non poſſum , ubi contendit , Porphyrii de purgatione & liberatione animæ dicta , eſſe cum dictis Hierоclis de eodem argumento differentis conferenda , unumque alteri facem præbere ; ſiquidem , quemadmodum jam animadvertimus , vere Eclectici , Anonymi , Acephali non fuiſſent recentiores ejuſmodi Platonici , ſi in aliquo doctrinæ , ut ita dicam , corpore , aut etiam ſchemate conſonaſſent . Heinc impervia adeo , & di-

diverſa adeo ſpecie, ac ratione a ſcriptoribus exhibita Syſtematis Eclecticorum forma. Judæorum filios, qui præſertim Alexandriæ degebant, poſtquam regnaſſent Ptolomæi, aut CL. ante Chriſtum annis philoſophatos fuiſſe, docet Brucherius Tomo Hiſtoriæ ſuæ Philoſophicæ IV. Ex erroribus autem Pythagoræ, Platonis, Ariſtotelis, Philoſophorumque Orientalium, & Ægyptiorum præcipuis, Philoſophicum ipſorum Syſtema conſtitutum fuiſſe, quod Eclecticæ deinde Philoſophiæ nomen accepit, & Cabbala, ſive Cabbaliſtica ſcientia appellata eſt, nos ipſi ex allegato Brucherio, Buddeoque, & ex Vindeto alia in Elucubratione meminimus; adeo ut quicquid impurum in Pythagoræo, & in Stoico ſyſtemate reperiebatur, in Eclectico deinde compatuerit; neque hoc niſi ex diverſo explicandi modo a Spinoſianis erroribus diverſum fuerit, ſi ſuas ab Eclecticis mutuati ſunt, ut dicitur, hypotheſes Valentiniani, quorum in Scriptis, quemadmodum in Cabbaliſticis, emanationis portentum invenitur, omniaque recurrere ad unitatem, & omnes Æonas unum eſſe &c. quod late patet apud Irænecum, Libro contra Hæreſes ſecundo.

Ne-

Neque vero quemquam movere debet, Eclecticos adhuc in illa hypotheſi dixiſſe de Diis uni Numini ſubjectis, deque Angelis, & Archangelis, de Mentibus & Spiritibus cœleſtibus diſſeruiſſe, quos & ritibus Theurgicis venerabantur. Neminem, inquam, movere id debet; quum nullum Religionis, ut appellatur, Symbolum difficilius excogitari ab humanis mentibus queat, Symbolis Atheorum. Sunt hæc vere omnia inextricabile & obſcurum Chaos, in quo propterea ſolum minus errant, quia neque in ea jurant, neque enodare eadem ſatagunt. Fuere noſtra etiam, & Patrum memoria, qui Geniorum exiſtentiam cum Spinoſiano ſyſtemate componere ſtulte ſtuduerunt, de quorum impietate non eſt heic diſſerendi locus. Negandum utique non eſt, recentiores Platonicos nonnullos, Deorum, Angelorumque exiſtentiam cum quodam Spinoſiſmo conciliare viſos eſſe; ſiquidem Marcellus Palingenius, qui in *Zodiaco vitæ*, ut ipſemmet in Præfatione ſua ad Herculem II. Principem Eſtenſem proteſtatus eſt, *Philoſophorum præſertim Platonicorum falſas opiniones refert*, exiguo adeo tamen oppoſitionis, & pietatis ſenſu, ut in cauſſa id fortaſſe fuerit, quare poſt

ipſius mortem in ejus cineres ſævitum ſit, quemadmodum Lilius Gregorius Gyraldus Dialogo monet II. de Poetis ſuorum temporum; Marcellus, inquam, Palingenius eorumdem veluti Platonicorum ſpinoſiſmum cum Angelis, & Geniis, & eorum viſionibus coire facit, quod hæc omnia monſtra illo unita in Platoniſmo deprehenderit. Libro namque XII. poſtquam ſummum ætherem non eſſe rerum terminum conſtituerit, ſed extra cœlum immenſam eſſe lucem ſine corpore, ita proſequitur:

Lucem, qua noſtri Solis longe minor eſt lux:
Lucem, quam terreni oculi non cernere poſſent.
Lucem, quam ex ſe ſe effundit Deus infinitam:
In qua habitant cum Rege ſuo Dii nobiliores:
Cætera turba minor verſatur in æthere ſemper.
Ergo triplex regnum eſt, ac mundi portio triplex;
Cœleſtis; ſubcœleſtis, quarum utraque fine
Clauſa ſuo eſt: reliquam non ullus terminus ambit,
Quæ ſupra cœlum ſplendeſcit lumine miro.
. . . .
Ergo Deûm formæ lucent vehementer: ac illa

Lux

Lux non eſt oculis mortalibus apta videri :
Immo inter Divos quo quiſque potentior eſt &
Dignior , hoc etiam majori lumine fulget

. . . .

Sic Lux illa Dei per ſe nequit ipſa videri
Corporeis oculis : ac fixa in Sole niteſcit ,
Propter materiam Solis , quæ aptiſſima luci
eſt .
Illa etiam lux divina eſt impreſſa aliorum
Divorum formis : quamvis non omnibus æque .

Pergit heic Palingenius Platonicorum explicare ſomnia triplici de cœlo ſuis habitatoribus culto , lucemque ſine corpore eſſe probare adnititur , quo inferat , eam oculis corporeis videri non poſſe : millia innumera Spirituum , & Legiones Angelorum , Divinum ætherem , lucemque prædictam inhabitare ; malos Dæmonas facile ab hominibus ad colloquium evocari ; bonos vero non adeo ; quod tamen a rite initiatis & purgatis quandoque impetraretur :

Dii vero ætherei terras odere , hominumque
Res dedignantur cognoſcere .
Ergo quum precibus flecti doniſque recuſent ,
Ardua res nimis eſt illis præſentibus uti .

Ar-

Ardua ſed quamquam res eſt, tamen aggrediemur.
Prima eſt mundicies animique, & corporis, ob quam
Diis homo fit gratus.

Deinde neceſſe eſſe Deos amare ſubdit, poſtremo crebris & ſupplicibus initare precibus; quo demum fore ait, ut Deorum commercio fruamur. Jam vero quum Platonicorum opiniones ſe traditurum dixerit hic Vates; quemadmodum infinitum eſſe mundum, pro illorum hypotheſi, apertiſſime docebat; ita & cultum quoque ac viſiones Deorum & Angelorum; quare conſequi fas eſſet, Platonicos æque illos infinitatem mundi, & emanationis monſtrum cum cultu, mediatione, & viſionibus Angelorum conciliaſſe; ideoque vere propagaſſe Theurgiam; præſertim quum Jamblichus tam abſolutum ediderit de Myſteriis Theurgicis adhuc reliquum Tractatum; & Divus Auguſtinus totum de Civitate Dei Librum X. conſcripſerit adverſus Porphyrium, Apulejum, ceteroſque Platonicos recentiores, veluti Theurgicæ Artis Vindices, proptereaque ipſos Apoſtolus revera reſpexiſſe videatur.

Quid

Quid vero nos hiſce omnibus de rebus? Prætermiſſis Syſtematibus Eclecticis, quæ varia, & fortaſſe oppoſita eſſe debuerunt; & quorum examen nulla heic videtur ratione neceſſarium; unum modo ſumus oſtenſuri, illos ſcilicet Platonicos recentiores, qui Theurgiam defenderunt, Theurgos tamen haud fuiſſe, ſive ſeductores illos, de quibus loquitur Apoſtolus. Quamvis enim verum fuerit, ipſos, vetuſtiorum imitatione Philoſophorum, longe lateque totum peragraſſe orbem, ut omnibus omnium Deorum, ac Theurgicis etiam ſacris initiarentur; & quamvis dubitari non poſſit, Eclecticorum aliquos Theurgicam artem in odium Chriſtianorum vindicaſſe; eorum ſcriptis tamen in diligens, ac ſeverum examen revocatis, habitaque ætatis, qua iidem floruerunt, ratione, palam eſſe poterit, alios fuiſſe a Paullo indigitatos, Hierophantas nempe, Hieraticos, ipſorumque Myſteriorum Sacerdotes, ante Eclecticorum tempora Philoſophorum, eos, qui purgationem animi per mediationes angelicas quærebant, talibus initiare in Myſteriis conſuetos.

CA-

CAPUT IX.

De Theurgia Philoſophorum.

PÆne omnes, qui Platonicos recentiores Theurgicæ, aut Magicæ artis poſtulavere, id in Libro X. Auguſtini de Civitate Dei ſibi videre viſi ſunt, quod in illa Operis parte idololatricum Theurgiæ cultum revera oppugnet Sanctus Pater, equidem contra ejuſmodi Philoſophos. Verum, qui ipſius verba ſerio meditatur, intelligit confeſtim, eoſdem non ex animo ſcripſiſſe, tantamque Philoſophiæ partem cum Theurgia immiſcuiſſe, ut ſe ſe demum quicquid aliud, præter illius artis Miniſtros manifeſtaverint. Jam enim altero Libri allegati Capite, de ſuperna illuminatione agens Auguſtinus, & quid Plotinus recentio-

tiorum Platonicorum Princeps de ea ſenſerit adducens ita ſcribit: *Dicit ergo ille magnus Platonicus, animam rationalem non habere ſupra ſe naturam, niſi Dei*: nempe ejuſdem veluti generis intellectualem hominis partem, & intellectuales ac cœleſtes naturas, ſive Angelos, & Archangelos eſſe exiſtimabat Plotinus, proindeque non indigere nos eorum mediatione, & auxilio, quo purgaremur, & uniremur cum Deo. Capite vero IX. hæc de Porphyrii mente habet Auguſtinus: *Porphyrius quamdam quaſi purgationem animæ per Theurgiam, cunctanter tamen, & pudibunda quodammodo diſputatione promittit, reverſionem vero ad Deum hanc artem præſtare cuiquam negat; ut videas eum inter vitium ſacrilegæ curioſitatis, & Philoſophiæ profeſſionem ſententiis alternantibus fluctuare. Nunc enim hanc artem tamquam fallacem, & in ipſa actione periculoſam, & legibus prohibitam, cavendam monet; nunc autem velut ejus laudatoribus cedens, utilem dicit eſſe mundanæ parti animæ, non quidem intellectuali, qua rerum intelligibilium percipitur veritas, nullas habentium ſimilitudines corporum; ſed ſpirituali, qua corporalium rerum capiuntur imagines. Hanc enim dicit per quaſdam conſecrationes*

Theurgicas , quas Teletas vocant , idoneam fieri atque aptam ſuſceptioni ſpirituum , & Angelorum , & ad videndos Deos . Ex quibus tamen Theurgicis Teletis fatetur intellectuali animæ nihil purgationis accedere , quod eam faciat idoneam ad videndum Deum ſuum , & ad perſpicienda ea , quæ vere ſunt . Ex quo intelligi poteſt qualium Deorum , vel qualem viſionem fieri dicat Theurgicis Conſecrationibus , in qua non ea videntur quæ vere ſunt . Denique animam rationalem , ſive , quod magis amat dicere , intellectualem , in ſuprema poſſe dicit evadere , etiamſi quod ejus ſpiritale eſt , nulla fuerit arte purgatum : porro autem a Theurgo ſpiritalem purgari hactenus , ut non ex hoc ad immortalitatem , æternitatemque perveniat . . . . querelam de hac re Chaldæi neſcio cujus expromens : conqueritur , inquit , Vir in Chaldæa bonus , purgandæ animæ magno in molimine fruſtratos ſibi eſſe ſucceſſus , cum Vir ad eadem potens tactus invidia adjuratas ſacris precibus Potentias alligaſſet , ne poſtulata concederent . Extat revera Porphyrii Epiſtola ad Abammonem Theurgum , edita in limine Operis Jamblichi *de Myſteriis* , Editionis Galæi , in quo Jamblichus , ſub Abammonis perſona , Epiſtolæ illi reſ-

reſpondet . Hæc vero , tametſi abſque ira & odio veluti conſcripta , prope omnes continet , quæ ferri contra Theurgiam poſſint , difficultates ; abeſt adeo ut Theurgicorum Myſteriorum Miniſter fuerit Porphyrius .

Sed pergamus audire de eodem argumento differentem Auguſtinum Capite XI., ubi ſic proſequitur : *Scripſit Porphyrius ad Anebontem* (Abammonem) *Ægyptium , ubi conſulenti ſimilis , & quærenti , & prodit artes ſacrilegas , & evertit . Miratur autem quod non ſolum Dii alliciantur victimis , ſed etiam compellantur , atque cogantur facere quod homines volunt Quærit etiam veluti dubitans , utrum in divinantibus , & quædam mira facientibus animæ ſint potentiores , an aliqui ſpiritus extrinſecus veniant , per quos hæc valeant . Et potius venire extrinſecus conjicit . . . non tamquam ſibi perſuaſa confirmat , ſed tam tenuiter ſuſpicatur , aut dubitat , ut hæc alios aſſerat opinari . Difficile quippe fuit tanto Philoſopho cunctam diabolicam ſocietatem vel noſſe , vel fidenter arguere , quam quælibet anicula Chriſtiana , nec noſſe cunctatur , & liberrime deteſtatur . Niſi forte iſte & ipſum , ad quem ſcribit , Anebontem* (Abammonem Theurgum Sacerdotem) *tamquam talium ſacrorum*

rum præclariſſimum Antiſtitem , & alios talium Operum tamquam divinorum , & ad Deos colendos pertinentium admiratores verecundatur offendere . . . . . Aut ergo revera dubitans , & inquirens iſta Porphyrius , ea tamen commemorat , quibus convincantur , & redarguantur , nec ad eas Poteſtates , quæ nobis ad beatam vitam capeſſendam favent ; ſed ad deceptores Dæmones pertinere monſtrentur ; aut , ut meliora de Philoſopho ſuſpicemur , eo modo voluit hominem Ægyptium , talibus erroribus deditum , & aliqua magna ſe ſcire opinantem , non ſuperba quaſi auctoritate Doctoris offendere , nec aperte adverſantis altercatione turbare , ſed quaſi quærentis , & diſcere cupientis humilitate ad ea cogitanda convertere , & quam ſint contemnenda , vel etiam devitanda monſtrare . Capite XXI. doctrinam Philoſophi hujus Platonici de adventu Angelorum , & Deorum ad homines referens Sanctus Pater , *non ex ſua , ſed ex aliorum ſententia* ipſum ita docuiſſe ſubdit , deinde Capite XXIII. ita proſequitur : *Dicit etiam Porphyrius , Divinis Oraculis fuiſſe reſponſum , non eos purgari Lunæ Teletis , atque Solis ; ut hinc oſtenderetur , nullorum Deorum Teletis hominem poſſe purgari . Cujus enim Teletæ purgant ,*

gant , ſi Lunæ ſoliſque non purgant , quos inter cœleſtes Deos præcipuos habent ? Denique eodem dicit Oraculo expreſſum , Principia poſſe purgare , ne forte cum dictum eſſet , non purgare Teletas Solis , & Lunæ , alicujus alterius Dei de turba valere ad purgandum Teletæ crederentur . Quæ autem dicat eſſe Principia , tamquam Platonicus novimus ; nempe Divinam mentem , cum qua ſe per contemplationem , & comprehenſionem , tamquam cum unico & perfectiſſimo virtutum Exemplari , conjungi gloriantes Philoſophi , ſuum purgari animum exiſtimabant . Rurſus Capite XXVI. propoſitis contra Angelorum cultum argumentis , ita Hipponenſis Præſul : *Neſcio quomodo , quantum mihi videtur , amicis ſuis Theurgis erubeſcebat Porphyrius . Nam iſta utcumque ſapiebat , ſed contra multorum Deorum cultum non libere defendebat . . . . Adhuc dubitas hæc maligna eſſe Dæmonia , vel te fingis fortaſſe neſcire , dum non vis Theurgos offendere , a quibus curioſitate deceptus , iſta perniciosa & inſana pro magno beneficio didiciſti ?* Non ex Philoſophiæ Eclecticæ principiis & hypotheſibus Theurgiam , ejuſque cognitionem deducit Divus Auguſtinus ; ſed ab ipſis ſatius Hieraticis , & Myſteriorum Antiſti-

tiſtibus eam ait derivatam in Porphyrium, atque, ut illis velificaretur, ab ipſo aliquando vindicatam. Propria igitur Theurgorum, & Sacerdotum erat, non Philoſophorum.

Porro quam verum ſit, hoſce, Ethnici tantum vulgus in gratiam, & vindicandæ contra Chriſtianos, jam notos & florentes, Idololatriæ cauſſa, Theurgiam ſibi ſumpſiſſe propugnandam, unus adhuc, atque alter, Hipponenſis Patris locus indicabit. Itaque Capite XXVII. expoſita ab Auguſtino Philoſophi Platonici Apuleji opinione, qua inferiores quidem Dæmones; quamvis cultos, labe perturbationum actos imaginabatur, non vero æthereos, ac inviſibiles, ita contra Porphyrium adhuc diſputat: *Tu autem didiciſti hoc non a Platone, ſed a Chaldæis Magiſtris, ut in æthereas, vel empyreas mundi ſublimitates, & firmamenta cœleſtia, extolleres vitia humana, ut poſſent Dii veſtri Theurgis pronunciare divina: quibus divinis te tamen per intellectualem vitam facis altiorem, ut tibi videlicet, tamquam Philoſopho, Theurgicæ artis purgationes nequaquam neceſſariæ videantur; ſed aliis eas tamen importas, ut hanc veluti mercedem reddas Magiſtris tuis, quod eos, qui philoſophari non poſſunt, ad iſta*

ſedu-

ſeducis, quæ tibi, tamquam ſuperiorum capaci, eſſe inutilia confiteris; ut videlicet quicumque a Philoſophiæ virtute remoti ſunt, quæ ardua nimis, & paucorum eſt, te authore, Theurgicos homines, a quibus non quidem in anima intellectuali, verum ſaltem in anima ſpirituali purgentur, inquirant. Et quoniam iſtorum, quos philoſophari piget, incomparabiliter major eſt multitudo, plures ad ſecretos, & illicitos Magiſtros tuos, quam ad Scholas Platonicas venire cogantur. Nonne patet ex hoc teſtimonio, Platonicos Philoſophos Theurgica Myſteria, tamquam non ſibi, & philoſophari valentibus, ſed illis modo, qui in philoſophia initiati non erant, utilia, ac neceſſaria prædicantes, ſatis evincere, ſe idololatricæ tantum Religionis in gratiam ea prædicaſſe? Id Hieroclem manifeſte docuiſſe Capite ſuperiore vidimus, ubi mathematicis purgationibus reſpondidiſſe purgationes Theurgicas aſſerebat, contemplationi autem mentali hieraticam anagogen Myſteriorum ritibus obtentam. Erat autem mathematica purgatio, & contemplatio mentalis decantata illa a Pythagora, Platone, ac Plotino, mentis ab affectibus ſenſuum, & a Phantaſiæ imaginibus ſegregatio, quam ad ſimplicem, immaterialem & infinitam Dei eſſentiam

 nati-

nativo lumine comprehendendam, ſibi Philoſophi vindicabant, & ut ad ipſam immortalium, & immaterialium conſequutionem rerum meditando pervenirent, earum imagine ac umbra Populo in cæremoniis relicta.

Sane poſt allegata verba ſtatim adjiciebat contra Porphyrium Auguſtinus: *Hoc enim tibi immundiſſimi Dæmones, Deos ætherios ſe eſſe fingentes, quorum Prædicator, & Angelus factus es, promiſerunt, quod in anima ſpiritali, Theurgica arte purgati, ad Patrem quidem non redeunt, ſed ſuper aerias plagas inter Deos ætherios habitabunt*. Quæ ab Auguſtino per ironiam dicta fuiſſe nemo non intelligit; quippe ſi revera Dæmones id Porphyrium docuiſſent, neque dubitanter adeo de illis rebus ſcripſiſſet; neque Theurgiæ rationem, atque explicationem a Theurgo Abbamone quæſiviſſet. Interim vero hujuſmodi ex Porphyrii, ceterorumque hypotheſi Philoſophorum, rurſus diſcrimen patet ab illis poſitum ac præconceptum inter Philoſophiæ effectum, & beneficium Theurgiæ; hujus ſiquidem purgati cæremoniis ſuper aereas plagas inter æthereos Deos erant collocandi, ſed unionem illam Divina cum mente ſperare non poterant, quam contemplationi,

tioni, & meditationi tantum ſuæ deberi ſuperbiſſimi mortalium, Philoſophi jactabant. Iterum autem Sanctus Pater: *Sufficit quod purgatione Theurgica, neque intellectualem animam, hoc eſt, mentem noſtram dicis poſſe purgari, & ipſam ſpiritalem, ideſt, noſtræ animæ partem mente inferiorem, quam tali arte purgari poſſe aſſeris, immortalem tamen, æternamque non poſſe, hac arte fieri confiteris. Quid prodeſt, quia negare non potuiſti errare homines Theurgica diſciplina, & quamplurimos fallere per cæcam inſipientemque ſententiam, atque eſſe certiſſimum errorem, agendo, & ſupplicando ad Principes, Angeloſque decurrere; & rurſum, quaſi ne operam perdidiſſe videaris iſta dicendo, mittis homines ad Theurgos, ut per eos anima ſpiritalis purgetur eorum, qui non ſecundum intellectualem animam vivunt*. Denique Capite XXVIII. *Mittis ergo homines in errorem certiſſimum: neque hoc tantum malum te pudet, cum virtutis, & ſapientiæ te profitearis amatorem. Confiteris tamen etiam ſpiritalem animam ſine Theurgicis artibus, & ſine Teletis, quibus fruſtra diſcendis elaboraſti, poſſe continentiæ virtute purgari. Aliquando etiam dicis quod Teletæ poſt mortem elevant animam, ut jam nec eidem*

ipſi,

pſi , quam ſpiritalem vocas , aliquid poſt hujus vitæ finem prodeſſe videantur : & tamen hæc verſas multis modis , & repetis ad nihil aliud , quantum exiſtimo , niſi ut talium quoque rerum quaſi peritus appareas , & placeas illicitarum artium curioſis , vel ad eas facias ipſe curioſos . Ignorantiam certe , & propter eam multa vitia per nullas Teletas purgari dicis , ſed per ſolum πατρικὸν νοῦν *, ideſt Paternam mentem , ſive intellectum , qui Paternæ Voluntatis eſt conſcius .* Si de Angelorum , Myſteriorumque Theurgicorum virtute , ea tantum de cauſſa dixiſſet Porphyrius , quemadmodum ſuſpicatur Divus Auguſtinus , ut peritus in illis videretur , ut placeret illarum artium curioſis , vel cæteros ad eas curioſos faceret, conferendus profecto eſſet cum poſterioribus Arabibus Philoſophis , cum Paracelſo , & Comite de Gabalis , hujusque Continuatore, cum Auctore Epiſtolarum Cabbaliſticarum , aliiſque hujus furfuris hominibus , qui popularem modo auram ex ejuſmodi deliramentorum deſcriptione quæſivere . Ut enim ab Indis , vel a Chaldæis Philoſophi Platonici , ſive Eclectici ſcientiam Theurgicam hauſere ; ita ab Acephalis hiſce , Porphyrium , Jamblichum , & Proclum in ſuam linguam vertentes

tentes eam deduxere Arabes ſcriptores, ex qu bus Paracelſus, & ex eo cæteri mox citati tan ſuperſtitioſum fabularum genus mutuati ſunt. Cæterum ex tam apertis Auguſtini locis abunde palam eſt, non Philoſophos Platonicos atque Eclecticos, ſed quoſdam potius Hieraticos, ſive Sacerdotes, operam Theurgicis initiationibus dediſſe. Neque enim ad Acephalam ſuam homines evocabat Sectam Porphyrius, ſed eos ad Antiſtites, & ad Theurgos mittebat, quo purgarentur, & a ſordibus animæ liberarentur. Si per morales purgativas, & purgati jam animi virtutes ad πατρικὸν νοῦν, ad virtutes exemplares, quæ in divina Mente continebantur, perveniendum eſſe, Platonicus hic Philoſophus conſtituebat: igitur ea, qua Plotinus, ratione, abſque Angelorum mediatione, & ope, ac Theurgicis abſque cæremoniis, purgari animum poſſe contendebat, ideoque vere Theurgus non erat.

Nil melius tamen evincet, quænam Philoſophorum fuerit illius temporis opinio de cæremoniis Theurgicis ob animum purgandum inſtitutis, quam id, quo Sanctus Pater univerſum claudit Librum Operis ſæpe adeo citati X. ubi Theurgiam oppugnavit; nam ibi demon-

ſtrare

Angelorum cognoſcendorum , & colendorum , nondumque in ſuam notitiam hiſtoriali cognitione perlatam ? Hic vero totus eſt doctiſſimus Sanctus Pater , ut egregie , & pulcherrime oſtendat , ſolam divinam Revelationem , & Religionem Chriſtianam , eſſe univerſalem cujuſcumque animæ liberandæ viam cœlitus conceſſam , nec niſi ejus ope homines vere purgari poſſe , & uniri denique cum Deo .

Tametſi vero adducta hucuſque teſtimonia ſatis oſtendant , Porphyrium , & alios nonnullos Philoſophos , Acephalos , ex animo de mediatione Angelorum , ac de Theurgicis Myſteriis non dixiſſe , immo de eorum virtute dubitaſſe , deeſſe non poſſet tamen qui inficiaretur , idem dici fas eſſe de Syriano , Proclo , & Jamblicho , qui tam abſolutum edidit *de Myſteriis* Commentarium , ex quo nos tanta deduximus ad Theurgiam , cultumque , & mediationem Angelorum explicandam . Qui tamen ita cogitaret , valde dubito , an Philoſophi Chalcidenſis Opus ſerio meditatus eſſet . Non enim proprio ille nomine Myſtagogiam ſibi vindicandam ſumpſit , & adverſus Porphyrii argumenta , & dubitationes vindicandam ; neque aliquem Philoſophorum induxit Porphyrio reſpon-

pondentem ; ſed Abbammonem potius Theurgicorum Myſteriorum Sacerdotem , univerſam teleſticæ purgationis originem , doctrinam , & vim , Pontificali Juri contra Philoſophos quoſcumque aſſerentem , ut ſuo loco oſtendemus . Agebatur tunc de Idololatria , contra Chriſtianam Religionem , jam jam undequaque prolatam , & florentem , utcumque defendenda . Quæſtio igitur de ſolis Theurgicis Myſteriis , puriori , ut rebantur , idololatricæ ſuperſtitionis parte , a Philoſophis Eclecticis inſtituta eſt. Neque enim vulgaria Deorum Myſteria propugnare Philoſophi Anonymi auſi fuiſſent , tum quod nullius erant pretii apud honeſtiores Ethnicos ; tum etiam quod cæteri altum ſervari vellent illis de Myſteriis ſilentium ; ideoque Octavius Auguſtus , qui Athenis initiatus fuerat , ut Svetonius refert in ejus vita , *quum poſtea Romæ pro tribunali de privilegio Sacerdotum Atticæ Cereris cognoſceret , & quædam ſecretiora proponerentur , dimiſſo Concilio , & corona circumſtantium , ſolus audiit diſceptantes* . Ex oppoſito Theurgica Myſteria magis accedere ad Theologiam naturalem videbantur , & facilius poterant philoſophicis doctrinis ornari ; propterea ea ſolum tuenda ſuſcepit Jamblichus ,

chus, quæ majore apud Gentiles in pretio erant, nempe *Ægyptiorum Myſteria, quæ a multis magni æſtimabantur*, ut inquiebat Origenes Libro contra Celſum IV. τὰ Αἰγυπτίων μυστήρια, ἐν οἷς πολλοὶ σεμνύνονται, ſive Chaldaica Myſteria Ægyptiacis doctrinis illuſtrata; idque, ut monebamus, non in propria, aut Philoſophi, ſed in Theurgi, & Pontificis perſona, & ſententia. Jamblichum quippe multa protuliſſe ἀρχῆς ὑποθέσεως, hoc eſt, non quod ita ſentiret, ſed ut inſerviret argumento, & ut Patronum ageret, & Vindicem Theurgorum, animadvertit Julianus Oratione IV. nam Archangelorum doctrinam, & materiæ ποίησιν; quam *de Myſteriis* agens amplectitur, non ſemper poſuit, ac propugnavit. In *Pythagoræ Vita*, & in *Adhortatione ad Philoſophiam*, Platonicus arcanioris videtur ſententiæ; ubi in Libro *de Myſteriis* ea vindicavit, ſuperſtitioſior fuit Vulgo; quamvis non tam ex Chaldaico, & Pontificali jure, & ritu, quam ex variis Ægyptiorum, & Græcorum erroribus, & doctrinis ea demum propugnaverit; quod animadverſum non ſemel Galæo in Adnotationibus. Id vero veterum more Philoſophorum præſtitit Philoſophus Chalcidenſis, immo pro

Ecle-

Eclectica magis libertate, quemadmodum cæteri illius ætatis Platonici præſtitere; Porphyrius ſiquidem aliud in Libris *de Abſtinentia animalium*, aliud in Epiſtola docuit a Jamblicho in Opere *de Myſteriis* confutata. In Lib. de Anima præclariſſimum illud ſtatuit: Τὰ μὲν τῶν ἐννοιῶν, καὶ τὰ τῆς ἱστορίας ἀναμφιλέκτως συνίστησι τὴν ψυχὴν εἶναι ἀθάνατον. Οἱ δὲ εἰς ἀπόδειξιν παρὰ τῶν φιλοσόφων κομισθέντες λόγοι δοκοῦσιν εἶναι ἐνανατρεπτοι, διὰ τὴν ἐν πᾶσιν εὑρεσιλογίαν τῶν ἐριστικῶν. *Animæ immortalitas extra dubium ponitur, ſi attendamus ad communes notiones, & hiſtorias; probationes autem, quas Philoſophi de ea adferunt, facile evertunt contentioſi, & arguti Sophiſtæ*; ſed aliis in Operibus nil magis quam de hypotheſibus Philoſophorum cogitabat. In Libris, quos ἐκ λογίων φιλοσοφίας appellavit, ut ex Libro XIX. de Civitate Dei Cap. 23. Auguſtini patet, quique erant *de Philoſophia ex Oraculis*; plurima poſuit Apollinis, aliorumque Numinum Oracula, quæ in aliis Operibus non adeo faciebat. Fateor Euſebium, Libro Præparationis Evangelicæ IV. Capite 6. memoriæ prodidiſſe, Porphyrium inter Philoſophos ſui Seculi, Dæmonibus, quos Deos appellabat, familiariſſime uſum fuiſſe, arcana ipſorum majore

jore præ cæteris ſtudio perveſtigaſſe, atque eorum cauſſam defendendam ſuſcepiſſe; alioque ejuſdem Libri loco, addere, illum, οὐ παρέργως ὁμιλῆσαι τῇ τοῖς πολλοῖς λανθανούσῃ δεισιδαιμονίᾳ, & Libro V. Cap. 6. ipſum τὰ ἀῤῥητότερα τῶν ἀῤῥήτων perſcrutatum fuiſſe. Magica nos quoque, ac Theurgica Porphyrium ſcripſiſſe non negamus. Attamen, ſolvendus erit ſemper nodus, qua nam ratione ea tenere ſerio, & ex animo potuerit, ſimulque oppugnare, ut ex allegatis patet Divi Auguſtini teſtimoniis, & doctrinis; magis vero ex Epiſtola ipſius Porphyrii contra Theurgica Myſteria, cui Abammonis Theurgi nomine Jamblichus reſpondit. Eunapius in Porphyrii vita animadvertit, ipſum *multas reliquiſſe obſervationes, Libris prius abs ſe editis repugnantes, de quibus non poſſum aliter exiſtimare*, ſubdit, *quam quod ætatis progreſſu ſententiam mutaverit*. πολλὰς γοῦν τοῖς ἤδη προπεπραγματευμένοις βιβλίοις θεωρίας ἐναντίας κατέλιπε, κ. τ. λ. Utque Theurgiam aliquando ſerio propugnaverit, & in Myſteriis initiatus fuerit Porphyrius, ex Eunapio certum tamen eſt, ipſum nunquam Myſteriorum ſacerdotem fuiſſe, aut Miniſtrum.

Syneſius, quem in Præfatione ad illius Librum de Inſomniis, *omnium Chaldaicorum Myſte-*

ſte-

ſteriorum Sodalem , τῶν Χαλδαϊκῶν θιασώτην Nicephorus Gregoras appellabat, quique opus illud, quemadmodum ex Petavio animadvertere eſt , adhuc Ethnicus conſcripſit , tametſi , quod ad paucos quidem adtineret , Myſteria Theurgica, eorumque virtutem non negaverit , moralibus tamen virtutibus magis , quam ritibus Theurgicis animæ purgandæ vim ac virtutem tribuebat, in citato *de Inſomniis* Libro ſcribens : *Quiſquis enim mala animi moleſte fert , in quibus verſatur , inde ſe extricare nititur : maximaque purgationis pars eſt voluntas , quæ ſi defuerit , velut inanima eſt qualibet expiatrix cæremonia , utpote quæ præcipuo pacto conſenſuque mutilata ſit* . Qua utique dicendi ratione conveniebat Philoſophus ille Platonicus cum Stoico Epicteto , qui , apud Arrianum Libro III. commendato virtutum moralium exercitio , ſubjiciebat : *Sic nobis utilia redduntur Myſteria . Nam propter diſciplinam , & commendationem vitæ , omnia hæc a Veteribus inſtituta ſunt* . Quamvis igitur in Idololatriæ gratiam Myſteria Philoſophi Ethnici vindicaverint , inferre tamen minime fas eſt , eoſdem illa celebraſſe , aut ab ipſis cæteros fuiſſe initiatos .

Eſt ſane locus Arnobii Libro contra Gen-

tes

tes 11, maximum eos inter Acephalos Philoſophos, quemadmodum etiam inter cæteros, ac Theurgos diſcrimen aſſerens, & oſtendens; ſic enim habet Vindex ille Chriſtianæ Religionis Scriptor: *Nec mihi cum his ſermo eſt, qui per varia Sectarum diverticula diſſipati, has atque illas partes opinionum diverſitate fecerunt. Vos, vos, appello, qui Mercurium, qui Platonem, Pythagoramque ſectamini; Voſque cæteros, qui eſtis unius mentis, & per eaſdem vias placitorum inceditis unitate. Quid Plato veſter in Theæteto, nonne animo fugere ſuadet a terris, & circa illum ſemper, quantum fieri potis eſt, cogitatione ac mente verſari? Quid illi ſibi volunt ſecretarum artium ritus, quibus aſſamini neſcio quas Poteſtates, ut ſint vobis placidæ, neque ad ſedes remeantibus patrias obſtacula impeditionis opponant?* Quam pulchre heic Pythagoræos, Platonicos, & Eclecticos a Theurgis ſeparat Arnobius, qui revera, ut videbimus, alium non habere ſe jactabant Præceptorem præter Mercurium Ægyptium, qui eos docuiſſe ferebatur ſecretas artes, & arcanos ritus colendi cœleſtes Poteſtates, Angelos ſcilicet, Archangelos &c.! Dum igitur de horum Epiphaniis, Viſionibus, & Cultu, deque

univerſa diſſeruere Myſtagogia nonnulli Eclectici, & Anonymi Philoſophi, rationibuſque, & argumentis eam illuſtravere, & explicavere, non Sacerdotum, aut Theurgorum, ſed, ſi dicere fas eſt, Scholaſticorum perſonam veluti egere. Quid enim aliud Theologica ars eſt, quam ratio, & Philoſophia, ut ita dixerim, Religionis? Quum enim Theurgi Sacerdotes, Hierophantæ, ac Myſtæ, magis de ritibus & cæremoniis forent, quam de doctrinis, deque diſputandi arte ac methodo ſolliciti, pervium eſt imaginari, eoſdem ſapientioribus, ac doctioribus Gentilium, videlicet Philoſophis ſtudium & curam reliquiſſe cæremonias illas, rituſque, ac totam vindicandi Theurgiam: quod iſti, aſcitis in auxilium Ægyptiis, Græciſque placitis, demum præſtitere. Hujus exemplum rei manifeſtum eſt ex iis, quæ Porphyrius ſcribit in Vita Plotini, ubi habet: *Quum in Platonis Natalibus Poema de Connubio ſacro recenſuiſſem; & quidam præſens objiceret, Porphyrium inſanire, quippe quum multa illic divino quodam afflatu, ſecretoque myſterio dicta fuiſſent, Plotinus palam, cunctis audientibus, inquit: demonſtraſti ſimul Poetam, Philoſophum, & Sacerdotem.* ἔδειξας

ἐμὲ

ὁμοῦ καὶ τὸν ποιητὸν, καὶ τὸν φιλόσοφον, καὶ τὸν ἱεροφάντην. Sacrum illud Connubium, ubi multa μυστικῶς καὶ ἐπικεκρυμμένως dicta, mentis aſcenſum in Deum, & animæ cum eo conjunctionem reſpexiſſe, monet Holſtenius in Diſſertatione de Vita & Scriptis Porphyrii Capite X. de quibus dum Philoſophus ille diceret, oſtendit, judice Plotino, ſe non tam Poetica, & philoſophica, quam hieratica etiam, & Sacerdotali fuiſſe ſapientia donatum, ac Theurgiam phyloſophico clypeo exornaſſe. Heinc ob rationes Theurgiæ illas a Philoſophis excogitatas, & adjectas, factum eſt, ut Gabriel Naudæus Capite XIII. Operis, quo præſtantiores a Magiæ labe vindicavit Viros, argumentis, & rationibus Platonicorum, Theurgiæ Vindicum, rationes & argumenta Ariſtotelæorum oppoſuerit, veluti Theurgica Religio cogitatis innixa fuiſſet ejuſmodi Platonicorum, qui eam modo Ægyptiacis, Græciſque hypotheſibus tueri, ac illuſtrare ſatagebant. Ea profecto a Naudæo inſtituta refutandi Theurgiam methodus fuit obſcura diligentia; debuiſſet quippe ſatius illius doctrinæ meminiſſe, eaque ſatius uti, quam in Operis ſui limine commodum poſuerat, de diſcrimine videlicet apud Gentiles re-

ceptiſſimo inter Magiam , atque Theurgiam : quo ſane Philoſophus ejuſmodi a nefariarum crimine artium felicius vindicare potuiſſet .

Sed fuerint per nos licet , Acephali , & Potamonici Philoſophi Theurgicis ipſis artibus, & Myſteriis addicti , deque Angelis , & Archangelis , de Geniis , & minoribus Diis differentes , vere , & ex animo , eorum mediatione purgari homines oportere conſtituerint ; numquam fiet tamen , ut eos , in loco quem interpretantur , reſpexerit Apoſtolus . Quam enim ab ipſius ætate diſtant , Proclus , Syrianus , Jamblichus , Porphyrius , Apulejus , Hierocles, cæterique Eclectici , Anonymi , Acephali , Potamonici Philoſophi , qui Theurgiam aut laudavere , aut propugnavere , aut etiam coluere! Nam tametſi Potamonem Eclecticæ Philoſophiæ Parentem , non poſt Marci Antonini tempora , ut eruditiſſimis placuit Viris , præſertim Stanlejo , in calce Hiſtoriæ Philoſophicæ ; ſed Auguſti ætate , ut alii maluerunt floruiſſe ; immo Alexandrinum illud philoſophandi genus , ex quo Potamonici Philoſophi orti ſunt , ante Chriſti ætatem , in Ægypto ſaltem obtinuiſſe concedamus ; numquam alios tamen in univerſa Antiquitate Patronos , atque ex profeſſo , ut

ajunt ,

ajunt, Theurgiæ commendatores inveniemus, præter allegatos, oppugnatoſque ab Auguſtino, quos propterea tamquam Coloſſenſium ætatis ſuæ ſeductores notare non potuit Apoſtolus, qui etiamſi in illa admonitione ſua, & Epiſtola, nedum cavendum voluiſſet ab artibus, & Myſteriis Theurgicis, & eorum nullam habendam eſſe rationem; verum etiam floccifaciendos æque Codices & Libros, Ordinem Theurgiæ continentes, quod volenti liberaliter uſque concedemus; aſt Codices ejuſmodi, non alios quam Theurgicos fuiſſe vindicabimus, ideoque non a Philoſophis, ſed a Myſtis, & a Sacerdotibus, ipſiſque adeo a Theurgis conſcriptos.

CAPUT X.

De Theurgia Primorum Hæreticorum.

EX hucuſque dictis non recte videretur Eſtius conjeciſſe, dum Apoſtoli verba ad Philoſophos retulit Platonicos recentiores, atque Eclecticos. Nunc tamen eorum opinio in examen revocanda eſt, qui Paullum reſpexiſſe docuere ad Simonianos, aut Cerinthianos, pro veterum teſtimonio ſcriptorum, magicarum exercitio artium infames, quorum doctrina idcirco, moreſque conſiderandi ſunt, ut mentem inde noſtram hac de re aperiamus. Obſcuriſſima eſt, fateor, ejuſmodi vetuſtiſſimorum doctrina Hæreticorum, præſertim quum Myſteria occultare ſoliti fuerint ſua, quemadmodum Irenæus, Tertullianus, & Epipha-

phanius querebantur ; & quia inter Patres , & Scriptores veteres , de illis pertractantes , aliquando non conveniat . Animadvertit ſiquidem Johannes Franciſcus Buddeus , in Commentatione ſua de Statu Eccleſiæ ſub Apoſtolis , vix Hæreticorum illius temporis nomina in Epiſtolis Paulli , cæterorumque Apoſtolorum contineri , quare poſteriores confugere ad ſcriptores neceſſe ſit erratis eorum detegendis , quæ adeo inter ſe ſe oppoſita non ſemel eadem etiam de Secta in medium proferuntur , ut hærere ſæpenumero oporteat . Majorem agit hac de re querelam Chriſtophorus Matthæus Pfaffius , in Inſtitutionibus ſuis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ , Seculo I. Cap. 4. ubi mira adeo illis de Hæreticis narrare Patres animadvertit , ut num illis ſemper ſit credendum , ignorare ſe profiteatur . Verum , non ſubit hominum iſtorum animum , Patres , ac veteres Scriptores , non tam de Sectarum Principibus , & primoribus Hæreticorum verba facere , quam ſimul etiam de ipſorum Aſſeclis , novas in Hæreſes dilapſis . Quot enim , & quam multiplices , diverſæque fuere Gnoſticorum , Valentinianorum &c. Claſſes ! De quibus illud profecto affirmare poſſes quod de Anabaptiſtis ſui temporis dixit Grotius , tot

nem-

nempe in Hæreſes, & Sectas diviſos eos fuiſſe, ut mortalium nemo ætate illa reperiretur, qui vel ſola potuiſſet earum nomina omnia noſſe, ac recenſere. Sed & ignorantiæ etiam noſtræ tribuendum, quod Patres aliquando non facile credenda protuliſſe videantur. Quot recentes ſcriptores, obſecro, Jovi Latiari humanum ſacrificium oblatum prodidere! Id ſe arbitrabantur hauſiſſe ex Patribus, qui tamen non de Sacrificio, ſed de Ludis Gladiatoriis intelligendi erant, ut ex Tertulliano diſcimus. *Ecce*, inquit in Apologetico, *in illa Urbe religioſiſſima Æneadarum eſt Jupiter quidam, quem ludis ſuis humano proluunt ſanguine. Sed beſtiarii, inquitis, opinor, hoc minus quam hominis. An hoc turpius quod mali hominis? At certe de homicidio funditur*. Ita ſæpe evenit: Inopiam cognitionis noſtræ, antiquorum oſcitantiam appellamus. Interim quod ad Quæſtionem noſtram pertinet, ſicut ex Patribus fundamentum ſumere viſi ſunt qui aut de Simonianis a Paullo dictum fuiſſe in teſtimonio quod illuſtramus, aut de Cerinthianis docuere: ita iiſdem ex Patribus quid ſtatui oporteat oſtendere debemus.

Quamvis vero plures fuerint Apoſtolorum tempore Hæretici, quod adverſus Doduvellum,

lum ; primos Hæreticos ad ultimum Trajani annum ſine cauſſa referentem a plurimis præſtantiſſimis Viris oſtenſum eſt , de ſolis agemus tamen Simonianis potiſſimum , atque Cerinthianis , tum quod ipſi præ cæteris Angelorum cultum propoſuiſſe dicti ſunt , tum etiam quod ad ipſos modo Apoſtoli verba referenda eſſe nonnulli Interpretes contendunt . Jam enimvero Epiphanii teſtimonium iſti in medium proferunt ; quod Hæreſi XXI. ejuſmodi ſe habet : *Simon nomina quædam Principatuum ac Poteſtatum commentus eſt , cœleſteſque globos varios , atque in firmamento , cœloque quolibet , Intelligentias certas collocat , quibus barbaras appellationes affingit . Negat autem ſalutem conſequi ullum hominum aliter poſſe , quam ſi hujuſmodi Myſteria didicerit , & Univerſitatis Parenti , per illos , quos diximus , Principatus , & Poteſtates ſacrificia obtulerit* : ὀνόματα δέ τινα ὁ αὐτὸς ὑποτίθεται ἀρχῶν τε καὶ ἐξουσίων ; κ. τ. λ. & Theodoretus Libro V. Hæreticarum fabularum Cap. 9. expoſita Pythagoræ, Platonis, Plotini , aliorumque opinione Philoſophorum , qui ante corpora animas exiſtere ponebant , & populum quemdam eſſe innumerabilium animarum , quæ, ſi peccaſſent, in corpora mitterentur ,

tur, ut tali purgatæ diſciplina, in proprium tandem reverterentur locum, ita proſequitur: *Impii vero Hæretici Carpocrates, & Epiphanes, & Prodicus, & Cajani, & Antitactæ, & Euchitæ, longe his abſurdiores nugas amplexi ſunt. Dixerunt enim eo in corpora mitti animas, ut omnem in his incontinentiam & iniquitatem exercentes, impietatis ſtudiis Angelos colant hujus mundi creatores.* οἱ δὲ δυσσεβεῖς αἱρετικοὶ, Καρποκράτης, καὶ Ἐπιφάνης, καὶ Πρόδικος, καὶ Καϊανοὶ, καὶ Ἀντιτάκται, καὶ Εὐχῖται, πολὺ τούτων ἀνοητότερον ἐληρήσαντο φλήναφον, κ. τ. λ. En igitur, inquiunt, religionem illam Angelorum, de qua ſcribebat Paullus in Epiſtola ad Coloſſenſes; niſi fortaſſe quis contendat ipſum reſpexiſſe Cerinthianos, quum eorum de Principe ac Præceptore ita Libro Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ III. Cap. 28. ſcripſerit Euſebius: *Sed & Cerinthus per revelationes quaſdam a ſe, tamquam a magno Apoſtolo conſcriptas, portenta quædam, quaſi ab Angelis ſibi oſtenſa commentus vobis introduxit.* ἀλλὰ καὶ Κήρινθος ὁ δι' ἀποκαλύψεων ὡς ὑπὸ Ἀποστόλου μεγάλου γεγραμμένων τερατολογίας ἡμῖν ὡς δι' Ἀγγέλων αὐτῷ δεδειγμένας ψευδόμενος. Aliquas igitur Angelorum viſiones quum jactaverit Cerinthus, ſuſpicati nonnulli ſunt, ipſum eos adorare po-

tuiſſe,

tuiſſe; proptereaque Coloſſenſem, ceteraſque Phrygiæ Eccleſias, in quibus plurimum verſatus Hæreticus ille fuerat, fuiſſe ab Apoſtolo præmonitas, ne ab erroribus, & mendaciis aut ipſius, aut aſſeclarum ejus deciperentur.

Hæc tamen quamvis prima fronte ad Apoſtoli locum explicandum apta eſſe videantur; ſecus tamen erit, ſi tum ea diligentius in examen revocemus, tum univerſo cum textu conferamus. Jam enim vero doctiſſimi fuere viri, inter quos Baronius ad annum Chriſti LX. & Benedictus Juſtinianus, Commentario in hunc Paulli locum, qui a Simone Mago aliquem Angelorum inductum fuiſſe cultum omnino negavere; quum ex iis, quæ de ipſo teſtati ſunt Irenæus, & Theodoretus, potius appareat, male illum in Angelos fuiſſe animatum, mentitumque, ſe ignominiæ per eos illatæ ſuæ illi Helenæ e cœlo veniſſe ultorem, atque ut eos corriperet, male terrarum Orbem moderantes; præſertim quum nullum ejuſmodi Simonianæ Idololatriæ reliquum ſit apud Euſebium, & Nicephorum veſtigium; ac ne apud antiquiores quidem Ignatium, & Cyrillum Hieroſolymitanum; immo Angelos Hæreticus ille adeo deteſtatus fuerit, ut ſuis vetuerit προσέχειν

τίνις

τινας quemadmodum Irenæus, & Theodoretus tradidere. Huic autem Baronii opinioni ſi adhærendum foret, quum nullus jam Angelorum apud Simonianos fuiſſet cultus, eos reſpicere non potuit Apoſtolus.

Quamquam, ut verum fatear, alii ſunt præſtantiſſimi ſane viri, Petavius præſertim in Adnotationibus ad Hæreſim Simonianam Epiphanii, & Natalis Alexander, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Seculo I. Cap. XI. Articulo I. qui Angelorum odium & cultum Simoniano in Syſtemate minime pugnaſſe arbitrantur, & conciliari poſſe, Angelos, quos deteſtabatur, fuiſſe adhuc a Simone Mago adoratos. Eos quippe a ſuis eatenus contemnendos docuiſſe animadvertunt, ut ſupra illos attollendos ſe eſſe crederent, & ad ſummum illum Patrem emerſuros; nihilominus tamen, quandiu in hac vita degerent, magicis quibuſdam Myſteriis ac ritibus placandos, ne evolantes a corporibus animas pro ſuo jure retinerent: quod Gnoſtici poſtmodum arripuere: quorum illud erat: τὰ σαρκικὰ τοῖς σαρκικοῖς ἀποδοτέον. Ut ut vero de ambagibus illis fuerit, apertiſſima ſunt Tertulliani verba Libro de Præſcriptione Cap. 33. *Simonianæ Magiæ diſciplina, Angelis ſerviens, utique & ipſa*

inter

inter Idololatrias deputabatur; quæ profecto Epiphanii teſtimonium de Simonis Magi Theurgia mirifice confirmant.

Felicius differunt, qui Cerinthum Angelos coluiſſe inficiantur. Scribit illo de Hæretico Irenæus Libro contra Hæreſes I. Cap. 36. *Cerinthus quidam in Aſia non a primo Deo factum eſſe mundum docuit, ſed a Virtute quadam valde ſeparata, & diſtante ab ea Principalitate, quæ eſt ſuper univerſa, & ignorante eum, qui eſt ſuper omnia Deum*. Idemque habet Theodoretus, Libro Hæreticarum Fabularum II. Capite tertio: Ἐδίδαξε δὲ οὗτος ἕνα μὲν εἶναι τὸν τῶν ὅλων θεὸν, οὐκ αὐτὸν δὲ εἶναι τοῦ κόσμου δημιουργὸν, ἀλλὰ δυνάμεις τινὰς κεχωρισμένας, καὶ παντελῶς αὐτὸν ἀγνοούσας. Si Angeli Conditores mundi Deum ignorabant, pro errore Cerinthi, quomodo potuiſſent eſſe mediatores, & eorum ope homines purgari, & aſcendere ad Deum? Hoc ſane in Capite opponebatur opinio Cerinthi principiis Theurgorum, illorumque ſeductorum, de quibus loquitur Apoſtolus. Rurſus, refert allegato loco Euſebius, Dionyſium Alexandriæ Epiſcopum credidiſſe Apocalypſim Johannis fuiſſe a Cerintho compoſitam & ſcriptam, perperam indito Apoſtoli illius nomine, quare figmentis ſuis au-

auctoritatem conciliaret. Id alii quoque ſuſpicati ſunt, de Apocalypſi differentes; cujus poſtremo tamen in Capite, quum Angelus, qui ventura ſcriptori oſtenderat, adorari ſe prohibuerit, inde ſequitur, illos, qui Apocalypſim Johannis Cerintho aſſerebant, ipſum de Angelorum cultu minime poſtulare potuiſſe. Ea ratione vero, qua Johannis Apocalypſim a Cerintho conſcriptam nonnulli veterum falſo ſuſpicati, hominis illius Opera & fata ſe non adeo calluiſſe oſtenderunt; ita decepti fortaſſe fuere dum poſuerunt ipſius viſiones & revelationes Angelorum. Illud autem veroſimilius credendum quod late oſtendere conatur Thomas Ittigius ubi de Hæreticis, & Hæreſibus primi & ſecundi Seculi copioſe diſſerit, Cerinthum ſcilicet, auditis Alexandriæ Judæis quibuſdam Helleniſtis, & Gentilibus, ac Theurgis, perlectiſque doctrinis Chriſtianorum, ex illis omnibus variegatum veluti conflaſſe Syſtema ex Judaiſmo, Ethniciſmo, & Chriſtianiſmo coaleſcens; qua quidem in re cum cæteris videtur conveniſſe illorum temporum Heterodoxis.

Poſtremum hoc nobis non ſemel meditantibus facile arriſit, primos ſcilicet Hæreticos in Religionis negotio prope dixerim Eclecticos,

Ano-

Anonymos, Acephalos fuiſſe; quod quidem pluribus confirmare conjectationibus difficile non eſt. Priorem ſuppeditat Anonymus, in Actis Eruditorum Lipſiæ, MDCCXII. qui de Valentinianis contra Maſſuetum diſſerens, arbitratur, *eos fuiſſe quidem Chriſtianæ Religionis Approbatores, ſed partim amore Philoſophiæ, cui aſſueti erant in Gentiliſmo, partim metu calamitatum Chriſtianos cæteros prementium, Chriſtianiſmo ſpeciem induxiſſe Religionis vel Gentilis, vel ſaltem Philoſophicæ, ideſt Theologiæ naturalis. Nihil enim cauſſæ erat, cur Valentiniani videri vellent Chriſtiani, a cujus nominis ſocietate his temporibus nil commode ſperari poterat, ſed potius mala omnia. Contra complures eſſe tum malebant Chriſtiani, quam videri, cavebantque, ne haberentur in contemptoribus Gentiliſmi: quippe quod hominum genus in bonorum vitæque perpetuo verſabantur diſcrimine. Nec videtur notatu indignum, quod nuſquam legimus in Veterum monumentis hoc genus hominum in acerbiſſimis illis Chriſtianorum vexationibus ſimul fuiſſe male habitum: quam libertatem omnino debuerunt Syncretiſmo ſuo, quo Chriſtiana & Ethnica Scita in concordiam quamdam redigere ſtudebant, more eorum, qui e Judaiſmo ad*

Chriſtianam Religionem ſe converterant. Sed & Natalis Alexander in Diſſertatione Polemica de Confeſſione Sacramentali adverſus libros quatuor Johannis Dallæi, pag. 165. ſcripſit: *Simoniani, Valentiniani, aliique ſimilis furfuris Hæretici veteres, Idololatriæ, quam Chriſtianæ Religioni propiores erant*. Accedebat vero ætatis illius ingenium & ſtudium; quemadmodum enim apud Philoſophos vigere cœperat Eclecticiſmus, atque etiam Syncretiſmus opinionum philoſophicarum; ita apud Hæreticos frequens tum Eclecticiſmus, tum Syncretiſmus fuit errorum & rituum; adeo ut Hæreſis ejuſdem homines aut oppoſita inciderint in ſomnia, & diverſis moribus, diverſa uſi fuerint diſciplina; aut cum puriſſimis Chriſtianæ Religionis ritibus & doctrinis impuriſſimos coire fecerint Ethnicorum ritus & errores; quare adparens illa, qua de loquebamur, Patrum varietas in illorum Hiſtoria Hæreticorum. Erat ejuſmodi inquam, error ſeculi, ſacrorum quædam, & Profanorum dogmatum commixtio, qua primorum Sectæ temporum laboravere, quemadmodum probe legentibus Maſſuetum, Vitringam, Vindetum, Hookerium, Ittigium, alioſque diligentiores earum Scriptores rerum facile

le conſtabit. Eadem quippe laborabant Ethnici ætatis illius labe, qui & quamplurimos Chriſtianæ Religionis in Sacris & Myſteriis ſuis æmulari cœperunt ritus, ut ex notiſſimis, & vulgatiſſimis Sanctorum Patrum, Juſtini præſertim, & Tertulliani teſtimoniis palam eſt, exque ſexcentis eruditiſſimis Scriptoribus, qui noſtra Avorumque memoria floruere, quos inter eminet præclariſſimus Paciaudius, Capite XVIII. aurei ſui Operis *De ſacris Chriſtianorum Balneis*; ne aliquid heic dicamus, de Tiberio, Hadriano, & Alexandro Severo, Chriſtum inter Deos, eodem pro Syncretiſmi ſpiritu, & indole, referre cogitantibus.

Certum jam vero eſt, prope omnes tum primi, tum alterius Eræ Chriſtianæ Seculi Heterodoxos nomen ambiiſſe Gnoſticorum, quod homines perfectæ ſapientiæ, & divinarum cognitione rerum præditos ſignificabat. Hanc ut indipiſcerentur inſaniſſimi mortalium Scriptis operam dabant, & doctrinis tum Hebræorum, tum Gentilium, tum Chriſtianorum, tum præcipue Philoſophorum, quorum cauſſa nemo prope fuit ejuſmodi Hæreticorum, qui non petierit Ægyptum, ubi Philoſophicus jam vigebat Syncretiſmus. Videtur hoc ſemper fuiſſe regionis

illius fatum, & antiquam Ægyptum cum hodierna conferri potuiſſe, quam nunc Cophtæ una mixtique incolunt & Mauri, Arabes, Turcæ, Græci, Judæi, Armenii, Syrii, Maronitæ, Franci, Bedovini, Ruſtici Felaces, Exterique Mahumedani, qui ex omnibus interioris maris Oris, Urbibuſque, atque ex finitimis ad Perſidem uſque Regionibus ſpontaneo exilio extorres, in illam ſe ſe colluviem hominum projiciunt. Ex Eclectica igitur Ægyptiorum Philoſophia contemplativos errores ſuos Hæretici illi mutuati ſunt, quemadmodum præſtantiſſimis a Viris animadverſum diximus; quare Hæreticorum condimenta, & Patriarchas Sancti Patres ſæpenumero Philoſophos appellavere. Clariſſime vero Tertullianus Libro de præſcriptione adverſus Hæreticos Cap. 7. *Ipſæ Hæreſes a Philoſophia ſubornantur. Inde Æones, & formæ neſcio quæ, & trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate: a Stoicis venerat. Et uti anima interire dicatur, ab Epicureis obſervatur. Ea uti carnis reſtitutio negetur, de una omnium Philoſophorum Schola ſumitur. Et ubi materia cum Deo æquatur, Zenonis diſciplina eſt. Et ubi aliquid de igneo*

Deo

Deo allegatur , Heraclitus intervenit . Eædem materiæ apud Hæreticos , & Philoſophos volutantur , iidem retractatus implicantur . Unde malum , & quare ? Et unde homo , & quomodo ? Et quod proxime Valentinus propoſuit , unde Deus ? . . . Quid ergo Athenis & Hieroſolymis ? quid Academiæ & Eccleſiæ ? quid Hæreticis & Chriſtianis ? Viderint qui Stoicum , & Platonicum , & Dialecticum Chriſtianiſmum protulerunt . Ut vero Hæretici Apoſtolicorum præſertim temporum contemplativos errores ex Philoſophis , ita ex Ethnicis Sacerdotibus cæremonias & gentiles ritus derivarunt ; hæcque omnia cum Judaicis , & Chriſtianis rebus male componentes , in unum veluti ſyſtematis monſtrum compegere . Fabulas revera , & genealogias Heſiodi , Orphei , Antiphanis , aliorumque Poetarum , qui generationes Deorum ſcripſere , Hæreticos , Apoſtolorum tempore viventes , in ſuas tranſtuliſſe Hæreſes contendit Iſaacus Voſſius Epiſtola I. de Divo Ignatio Martyre ad Andream Rivetum data . Ita vero de Gnoſticis Irenæus Libro contra Hæreſes I. Cap. 25. *Imagines quaſdam quidem depictas , quaſdam autem de reliqua materia fabricatas habent Gnoſtici , dicentes formam Chriſti factam a*

Pilato illo tempore, quo fuit Jeſus cum hominibus Et has coronant, & proponunt eas cum imaginibus mundi Philoſophorum, videlicet cum imagine Pythagoræ, & Platonis, & Ariſtotelis, & reliquam obſervationem circa eas, ſimiliter ſicut Gentes faciunt. Auguſtinus Libro de Hæreſibus, non Platonis, & Ariſtotelis, ſed Paulli, & Homeri imagines memorat ab Hæreticis illis adoratas, thure eiſdem etiam oblato. Nempe veteris Sapientiæ Parentes divino veluti Numine adflatos fuiſſe Ethnici arbitrabantur, quod ex Juliani Cæſaris Epiſtola XLII. intelligimus, ubi habet: *Homerus, Heſiodus, Demoſthenes, Herodotus, Thucydides, Iſocrates, Lyſias, Deos habent doctrinæ ſuæ Duces, & Auctores* Ὁμήρῳ μὲν γε, καὶ Ἡσιόδῳ, καὶ Δημοσθένει μὲν γε Ἡροδότῳ, καὶ Θουκυδίδῃ, καὶ Ἰσοκράτει, καὶ Λυσίᾳ θεοὶ πάσης ἡγοῦνται παιδείας. Nonne ex Ethnicorum moribus & ritibus derivatum erat, immo perſeverans cum aliqua Chriſtianæ Religionis permixtione verus erat Ethniciſmus, quod Pepuziani, Cataphrygæ, Collyridiani, aliique ἱερέας, ſive ἱερείας, Sacerdotiſſas, ſive Præſbyteros haberent, & Epiſcopos mulieres, de quibus Tertullianus, & Epiphanius querebantur? Pro ſacris Ethnicorum moribus factum

id

id fuiſſe oſtendit Auctor Conſtitutionum Apo-ſtolicarum Libro III. Cap. 9. ſcribens: *Nam Deabus fœminis Sacerdotiſſas creare Ethnicæ impietatis eſt, non autem Chriſtianum inſtitutum*, τοῦτο γὰρ τῆς τῶν ἑλλήνων ἀθεότητος τὸ ἀγνόημα, θηλείαις Θεαῖς ἱερείας χειροτονεῖν, ἀλλ' οὐ τῆς Χριστοῦ διατάξεως. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi VI. de primo agens Manichæorum auctore, tradit, quatuor eum Libros compoſuiſſe, unum, quem Evangelium vocavit, alterum, quem appellavit Capitum, tertium *Myſteriorum* μυστηρίων ſubditque illius Aſſeclas ad ſuum uſque tempus aerios Spiritus advocare ſolitos fuiſſe. Ex Ægyptio illo Syncretiſmo ortum quis jure imaginabitur, id quod Hadrianus Auguſtus in Epiſtola ſcripſit ad Severianum Cos. nempe: *Illi qui Serapim colunt, Chriſtiani ſunt, & devoti ſunt ſerapi, qui ſe Chriſti Epiſcopos dicunt*. Gnoſticos demum, Baſilidianos, & Valentinianos, Deorum cultum Chriſtiana cum Religione miſcuiſſe, Abraxæis ex figuris, & gemmis, in quibus bonorum, ut inquiebant, nomina Angelorum inſculpta erant, ſexcentis adhuc reliquis ipſorum Amuletis in medium adductis, *Tomo II. Antiquitatis Explanatione, & Schematibus illuſtratæ, Parte I. Libro III.*

O 4 exin-

evincit Bernardus Montfauconus. Hiſce autem omnibus ſi adjicias cunctos prorſus Patres, & Eccleſiaſticos ſcriptores, quin & omnem veterem Hiſtoriam, antiquiſſimos Hæreticos Magiæ poſtulaſſe, inficiari nulla ratione poteris, Simonianos etiam atque Gnoſticos, cum tot aliis Ethnicorum erroribus & moribus, aliquem Theurgicis ex Myſteriis in ſuas facile derivaſſe Sectas cultum Angelorum.

Hac igitur de re neque nos in præſens dubitabimus. Id de quo dubitamus tamen, immo quod revera negandum ducimus, eſt, qualemcumque illum Simonianorum, & Gnoſticorum erga Angelos, ſive per Magiam, ſive per Theurgiam, cultum, ab Apoſtolo fuiſſe in Epiſtola ad Coloſſenſes indicatum. Nam, ſi ipſius verba, ac textum integrum reſpicimus, Hæreticorum illorum diſciplinæ & moribus minime aptari eum poſſe intelligemus. Ita ſane Paullus: *Nemo vos ſeducat volens in humilitate & Religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens Caput, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum, creſcit in augmentum Dei. Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis hujus mundi, quid adhuc*

tam-

tamquam viventes in mundo decernitis? Neque tetigeritis, neque guſtaveritis, neque contrectaveritis; quæ ſunt omnia in interitum ipſo uſu, ſecundum præcepta & doctrinas hominum: quæ ſunt rationem quidem habentia Sapientiæ in ſuperſtitione & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis. Seductores illi igitur, illi Angelorum Cultores, ejus erant generis, ut Idololatriam exercerent ſuam eo abſtinentiæ & mortificationis exercitio, illoque caſtitatis adparatu, ut non corpori parcerent, neque carni indulgerent; ſed ea magis in Angelorum cultu diſciplina uterentur, quæ nomen haberet ac ſpeciem ſapientiæ. Quumque probe noſſet Apoſtolus, ſicut venena non dantur, niſi melle circumlita, ita & vitia non decipere, niſi ſub ſpecie virtutum; ideo Coloſſenſes, & Laodicenſes eam contra pietatis ac Religionis larvam, incautos ſeducere valentem, duxit muniendos. His autem ita conſtitutis, quis in animum inducet ſuum, ita indigitari potuiſſe Simonianos, & Cerinthianos, aut Gnoſticos, etiamſi cultores Angelorum? Nullus profecto. Nam tametſi non conveniat, quemadmodum innuimus, tum inter Patres & Eccleſiaſticos Scriptores, tum

inter

inter Exegetas ætatis noſtræ, de illorum Idololatria Hæreticorum erga Angelos, conſentiunt omnes tamen, eos in doctrinis & moribus verſatos fuiſſe a quacunque etiam pietatis umbra, & probitatis ſpecie, quam maxime alienis. Nam de Cerintho ut primum diſſeramus, certum eſt, millenarium inductum fuiſſe ab ipſo terreſtre Chriſti regnum, in quo homines carnis cupiditatibus, & voluptatum illecebris gaviſum iri effutiebat, numerumque mille annorum in Nuptiarum feſtis & celebritate conſumendum. Illo ſane de Cerinthi errore ita Euſebius, Libro Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ III. Cap. 8. *Hæc fuit illius opinio, regnum Chriſti terrenum futurum: & quarum cupiditate rerum ipſe flagrabat, utpote voluptatibus corporis obnoxius, carnique addictus, in iis regnum Dei ſitum fore ſomniabat, in ventris, & earum, quæ infra ventrem ſunt, rerum carnis libidine explenda: hoc eſt in cibo, potu, & Nuptiis.* Τῦτο γὰρ εἶναι τῆς διδασκαλίας αὐτῦ τὸ δόγμα, ἐπίγειον ἔσεσθαι τὴν τῦ Χριςῦ βασιλείαν, κ. τ. λ. Si igitur voluptatibus carnis obnoxius, carnique addictus erat Cerinthus, ſique Religionis præmium in explenda libidine conſtitutum eſſe cogitabat, quomodo Sectatoribus dixiſſet ſuis: *Neque tetigeritis, neque guſtaveritis,*

ritis, *neque contrectaveritis*; hoc eſt, ut ab animatis, a vino, & a Venere abſtinerent, qui erat, ut videbimus, formulæ illius ſenſus? Quomodo corruptionem animi ab earum uſu rerum timuiſſet? quomodo illius denique doctrina rationem habuiſſet ſapientiæ in ſuperſtitione & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis? Sed veterum nemo meminit, Angelos a Cerinthianis fuiſſe adoratos, proindeque certum eſt, eos non fuiſſe Seductores allegatis verbis ab Apoſtolo indicatos.

Simon Magus Theurgiam exercuiſſe videretur, dum Principatus, Poteſtates, Angeloſque, & Genios quocumque cœleſti in Orbe præconcipiens, & Myſteria Angelorum ponens, per hos Deo offerenda eſſe ſacrificia docebat. Verum cæteris, quæ de illo tradunt Veteres omnes, animadverſis, neque illius Sectæ accomodari verba Paulli poſſe palam eſt. Prætérquamquod enim referunt præſtigiis, incantationibus, maleficis, nefariis, vereque magicis artibus addictum ſuis cum Aſſeclis fuiſſe Simonem Magum, conſtat adhuc magis, eumdem univerſa perpetrari oportere voluiſſe, quæ cujuſcumque ſibi libido ſuggerebat; ventris, &

eorum

eorum quæ ſub ventre ſunt, incitamenta cibis, potibus, nuptiiſque explenda prædicaſſe; abeſt adeo, ut caſtimonia & abſtinentia non corpori, non carni parcerent, & a legitimis etiam uxoribus aſſeclæ ipſius, in Angelorum cultu & Religione abſtinerent. Omitto Helenam illam, infame Simonis ſcortum, & Simonianorum ſcandalum; omitto dicteria contra ipſos Angelos, ceu præceptorum moralium invectores, quorum ab imperio Angelorum ſuos ſe Diſcipulos liberaturum ſpondebat ille Impoſtor; abeſt adeo, ut mediantibus Angelis confiderent Simoniani fore ut purgari poſſent, & uniri cum Deo. Promiſcuam denique Simonianorum libidinem talibus exprimunt nomenclaturis Patres, & Eccleſiaſtici ſcriptores, ut religio ſit, ea altiſſimo involvere ſilentio; adeo enim turpia obſcæna, atque execranda ſunt quæ eos perpetraſſe fama erat, ut vix, ac ne vix quidem abſque infinita animi indignatione valeant recenſeri. Illa ne vero tam flagitioſa & horrenda *rationem habere poterant ſapientiæ*? Illa ne *non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis* propoſita eſſe poterant, aut præcepta? Numquam profecto quis jure ſibi perſuadere poterit Apoſtolum ſollicitum fuiſſe,

ne

ne Coloſſenſes, & Laodicenſes, quos tamquam recte inſtitutos Chriſtianos ſua in Epiſtola commendat, a monſtris illis ſeducerentur; neque aliquis in animum ſuum induxerit, Paullum tam honorificis exprimendi modis Hæreticorum illorum nefarias libidines donare voluiſſe.

Aliis, equidem aptioribus, Simonis Magi Diſcipulos coloribus pinxit Divus Paullus in Epiſtola ad Timotheum II. Cap. 3. ubi eos *incontinentes*, *& voluptatum amatores* futuros ominatus eſt; nam ad illos verba ejuſmodi referenda eſſe, docent Sacri Interpretes. Primus revera inter Hæreticos, qui generationem averſatus eſt, & nuptias rejiciendas eſſe ſtatuit, Irenæo, Epiphanio, ac Theodoreto ſi fides ſit oportet, fuit Saturninus, Simonianæ quidem hæreſeos propagator, ſed qui ad Hadriani tempora refertur, ad annum nempe Chriſti circiter CXX. ut ex Euſebio, atque ex Eccleſiaſticis Annalibus monet Natalis Alexander, ubi hoc agit de Heterodoxo; cujus propterea errores, & impiam ſimulatamque abſtinentiam & caſtimoniam reprehendere non potuit Apoſtolus ad Coloſſenſes ſcribens de Seductoribus, quos cavere illo tempore debebant. Multo vero minus vetuſtiores Saturnino Simonianos tanta impudi-
citiæ

citiæ labe laborantes dicere Apoſtolus potuerit corpori non pepercisse, & in diſciplina verſatos fuiſſe habente rationem ſapientiæ. Si enim Tertulliano, atque Epiphanio credimus, ubi Angelos affirmant fuiſſe a Simonianis adoratos, & ab iſtis frequentata Theurgica veluti Myſteria; cur non eiſdem Tertulliano & Epiphanio, verum etiam Irenæo, Euſebio, Auguſtino, Theodoreto, aliiſque fidem dabimus graviſſimis & ſinceriſſimis Scriptoribus, qui Hæreticos nobis repræſentant illos, tamquam ſcelera, & monſtra? Alio igitur quærendi ſunt, qui reſte Apoſtolo, diſciplinam habentem puritatis, abſtinentiæ, ſapientiæque rationem Theurgicis conjungebant cum Myſteriis, ſive cum cultu, & opinione mediationis Angelorum.

Fuere ſane recentes inter Scriptores, qui plurima, quæ de peſſimis vetuſtiſſimorum Hæreticorum doctrinis & moribus tradita ſunt, allegorice, & myſtice interpretanda, & intelligenda eſſe contenderunt: qua in re palmam cæteris eripuit Beauſobrius in Hiſtoria ſua Critica Manichæiſmi. Aſt improbum & audax adeo interpretationis genus ipſe Pfaffius poſt Vitſium, Moshemium, Ittigium, alioſque jure rejicit, ac refellit in Inſtitutionibus Eccleſiaſticis, Se-

culo

culo I. Cap. 4. ita quippe & Hiſtoricæ fidei nimium detrahi ſubjicit, & veterum fidei Patrum, & Scriptorum. Quod unum nunc permittere poſſemus, eſſet, vetuſtiſſimos illos Hæreticos Goetiæ, ſive veræ Magiæ poſtulatos, ſolam fortaſſe Theurgiam cum aliquo, ita ut dixerim, Chriſtianiſmo colere ac permiſcere ſtuduiſſe; idque ob ſeveriſſimas leges, quibus apud Ethnicos quoque veri puniebantur Magi; quare non Eccleſiaſtico tantum anathemate a Chriſtiana, ſed Magiſtratus etiam gladio, aut imperio ab humana, aut civili abſciſſi fuiſſent Societate Heterodoxi, ſi Goetiam exercuiſſent; quorum tamen de pœna, aut ſupplicio propter ejuſmodi ſcelus ab ipſis paſſo, altum eſt apud Patres, & Scriptores Eccleſiaſticos ſilentium. Propterea ſuſpicari fas eſſet, Simonianos, pro eo, de quo diximus, Syncretiſmo, Chriſtiana Sacra cum Ethniciſmo, & Philoſophia confundentes, ipſum etiam ex Theurgia deduxiſſe cultum Angelorum; eoque pacto, quo Chriſtianæ Religionis dogmata, Myſteria, & diſciplinam corrupere, ita ipſam æque magis ac magis corrupiſſe Theurgiam, & Myſteria Theurgicis deteriora induxiſſe, quæ anſam Patribus dedere eos Goetiæ poſtulandi; a qua tametſi

metſi Heterodoxi illi abſtinuiſſent ; dum adhuc tamen cum corrupto magis & deteriore cultu Angelorum corruptiſſimos & infandos mores conjunxere, fit omnino, ut Paulli verba illis accomodare nulla ratione valeamus.

Aliud in hanc rem adjicere placet argumentum ex Carpocratis actis derivatum. Scribis hoc de Simonis Diſcipulo Euſebius Libro Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ IV. Cap. 7. *Sed & Carpocratem quemdam iiſdem vixiſſe temporibus ſcribit Irenæus, alterius Sectæ, quæ Gnoſticorum dicitur, Conditorem. Hi Magicas Simonis præſtigias, non clam, ut ille, ſed palam & publice tradendas eſſe cenſebant, & philtris arte Magica curioſe elaboratis, Paxedris quoque, & ſomniorum immiſſoribus, aliiſque ejuſmodi maleficiis, tamquam maximis & pulcherrimis rebus, gloriabantur. Conſequenter etiam docebant, quicumque ad perfectionem Myſteriorum, quæ apud ipſos peragebantur, pervenire vellent, eos turpiſſima quæque perpetrare oportere : quippe qui Mundi hujus Principes & Rectores, ut ipſi vocant, aliter evitare non poſſent, niſi unicuique eorum debita munera per obſcæniſſimam libidinem perſolviſſent.* Carpocratem ſecundo tantum vixiſſe Eræ Chriſtianæ Seculo notius eſt, quam

ut

ut ea de re Lectorem monere debeamus; quare Myſteria Carpocratianorum, & cultum, quem ipſi Dæmonibus Mundi hujus Principibus & Rectoribus præſtabant, palam eſt non fuiſſe ab Apoſtolo de Seductoribus ſui temporis loquente indicatum. Non tantum vero notis de Perſonis & hominibus ſermonem habebat in ſua ad Coloſſenſes Epiſtola Apoſtolus; ſed magis adhuc notiſſimis de rebus, quales erant Hoſtium Gentilium & Philoſophorum argumenta, Judaizantium & Pſeudoapoſtolorum legalibus de cæremoniis ſtudium & doctrina, proindeque vulgatus & notiſſimus foret etiam oportebat cultus, ſive humilitas & religio Angelorum. Jam vero, ſi Irenæi, & Euſebii teſtimonio, Gnoſtici, Carpocratis Diſcipuli, *Magicas Simonis præſtigias, non clam, ut ille, ſed palam & publice tradendas eſſe cenſebant*. ὅτι καὶ τοῦ Σίμωνος οὐχ ὡς ἐκεῖνος κρύβδην, ἀλλ' ἤδη καὶ εἰς φανερὸν τὰς μαγείας παραδιδόναι ἠξίουν, ſequitur omnino, occultum fuiſſe, ætate qua vivebat, Simonis, & Simonianorum cum Angelis commercium, proindeque cum Philoſophorum Gentilium, ac Judaizantium vulgatiſſimis doctrinis haud recte conferendum. Cum enim artes, ſtudia, & argumenta urgerent ſua Philoſo-

loſophi, & legalibus addicti cæremoniis Pſeudoapoſtoli, in univerſa Aſia minori, ac præſertim in Phrygia frequentiſſimi, jure optimo timendum erat, ne ab illis ſeducerentur ſimplices Chriſtiani Coloſſis, & Laodiceæ agentes; proptereaque nil mirum, Apoſtolum his ipſos hortatum verbis: *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam. Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum.* Verum, quænam obſecro neceſſitas eoſdem muniendi contra præſtigias a Simone tunc diſſito, & ipſis fortaſſe nondum cognito, occultiſſime exercitas? Nulla profecto. Verbis igitur: *Nemo vos ſeducat volens in humilitate & religione Angelorum &c.* Paullus denotaverit oportet celebrata undique, & notiſſima Theurgorum Myſteria, quæ tametſi diabolica eſſent contagia, quum tamen *haberent rationem ſapientiæ*, facile ſeducere Coloſſenſes potuiſſent. Aſt quamnam ſapientiæ rationem tribuere Paullus potuiſſet Myſteriis Simonianorum, etiamſi nota Coloſſenſibus fuiſſent, ſi, Carpocratianorum Myſteriis ſimillima, ad peſſimum Goetiæ genus pertinebant? Hoc utique neque apud Gentiles ipſos habuiſſe rationem ſapien-

tiæ

tiæ potuiſſet Paullus adfirmare aut ſcribere ; neque timere debuiſſet, ſimplices etiam Chriſtianos, qui commoveri ab honeſto in ſpeciem Theurgiæ cultu potuiſſent, a nefandis Goetiæ ritibus ſeductum iri, quos quanto horrore Chriſtiani primi averſarentur, egregie oſtendit præclariſſimus Vir, Thomas Mamachius, tum *Tomo Antiquitatum Chriſtianarum III.* tum I. Tomo aurei Operis de moribus primorum Chriſtianorum.

CAPUT XI.

De Theurgia Hieraticorum.

QUum ex iis, quæ hucuſque diximus, ſatis, ut reor, pateat, ſeductores, de quibus loquitur Apoſtolus verbis quæ illuſtramus, neque Magiſtratus fuiſſe Judæorum, neque Pſeudoapoſtolos, neque Philoſophos Platonicos, neque aut Judaizantes Hæreticos, aut Simonianos, aut Gnoſticos, vel Cerinthianos, reliquum eſt, ut illud hominum genus in medium proferamus, qui revera in humilitate, & religione Angelorum ambulantes, magnificentiſſimis proponebant verbis illorum cultum, deque Angelis, & Archangelis diſſerebant; ac ſi cum illis familiariſ-

ſime

ſime vixiſſent : interim in abſtinentiis , puritate , dejectione , ac diſciplinæ genere verſantes , quod ſpeciem haberet , rationemque ſapientiæ . Ejuſmodi igitur homines arbitramur doctiores quoſdam fuiſſe , ac ſacratiores , ut Ethnici quidem jactabant , Sacerdotes , Theurgiæ vere ac proprie Miniſtros, apud quos Chaldaica Religio, & diſciplina , ſive θεοπαράδοτος μυσταγωγία a Diis tradita Myſtagogia πατροπαραδότου patriæ Traditionis ope conſervata credebatur . Quamvis id vero colligi aperte valeat ex iis , quæ diſſeruimus , ubi de Theurgiæ natura & fine , deque Theurgorum abſtinentia, nec non Theurgicis de Viſionibus , virtutibus , & perfectionibus verba fecimus , operæ pretium exiſtimamus tamen, nonnulla heic ſubjicere Theurgicorum ejuſmodi Miniſtros , Sodaleſque Myſteriorum magis magiſque declarantia . Propriam ſane Sacerdotum aliquorum fuiſſe Theurgiam evincit , ut animadvertimus, ratio agendi ſcribendique Chalcidenſis Jamblichi , qui in ſuo *de Myſteriis* Libro non alium, quam Sacerdotem induxit de Theurgia , deque univerſa Myſtagogia diſſerentem , docentemque ; & quemadmodum Theurgiæ ortum Diis tantum ſuis , ita illius exercitium Sacerdotibus ſolis vindicantem ; immo purga-

 tio-

tionem animæ, ipſius liberationem, & unionem cum Diis, Theurgicorum modo virtuti Myſteriorum afferentem. Ita namque Sectionis X Cap. 1. ille Theurgus Sacerdos: *Reſtat jam ultimus de Beatitudine ſermo. Profecto ſi in Diis bonorum omnium eſſentia, & perfectio habeatur; ſi prima poteſtas ſit apud nos Sacerdotes, & noſtri ſimiles bonorum ſtudioſos, veræque unionis cum Diis cupidos, omnium bonorum fons & finis ſumma cura colitur, certe hic eſt veritatis, & intellectualis cognitionis contemplatio, & ſimul cum Deorum cognitione heinc ad eos converſio, & ſui ipſius cognitio ſequitur.* εἰ γὰρ ἐν τοῖς θεοῖς ἡ οὐσία τῶν ἀγαθῶν ὅλων καὶ τελειότης περιέχεται, καὶ ἡ πρώτη δύναμις αὐτῶν καὶ ἀρχὴ παρὰ μόνοις ἡμῖν, κ. τ. λ. Viam igitur ad purgationem & liberationem animi, & ad unionem cum Diis, extra Theurgiam, & Myſtagogiam, inveniri nullam toto illo Opere contendit allegatus Abammon; ſolaque Theurgica Myſteria virtutibus & perfectionibus aquirendis excoli oportere, quod Proclus æque Theurgiæ Vindex in Polit. p. 170. inſinuabat his verbis: *Religio nos ad Deos ferens, Diiſque faciens comites, ſacratiſſimis continetur cæremoniis, myſticiſque ſymbolis, & mediante quadam ineffabili ſympathia,*

thia, promeretur viſibilia per ſigna a Diis dotes. θεραπεία ἐπιβάλλουσα τοῖς μὲν ἁγιωτάτοις πλείστοις, κ. τ. λ. Quinam autem in myſticarum uſu cæremoniarum cæteris præſtare ac præire poterant debebantque, niſi Sacerdotes?

Rationem adjiciebat Theurgus Sacerdos, ut ſibi quidem videbatur, validiſſimam, cur non philoſophicis a virtutibus, ſed Theurgicis ſatius a cæremoniis, animi purgatio & liberatio, nec non unio cum Diis petenda foret. *Nam ſi per philoſophicas virtutes*, inquiebat loco allegato, *fieri hoc poſſet, Philoſophi divina contemplantes, Deificam unionem ſemper reportarent. Atqui revera ita ſe res non habet.* ἐπεὶ τί ἐκώλυε τοὺς θεωρητικῶς φιλοσοφοῦντας ἔχειν τὴν θεουργικὴν ἕνωσιν πρὸς τοὺς θεούς, νῦν δὲ οὐκ ἔχῃ τόγε ἀληθὲς οὕτως. *Nam unio illa Deifica non acquiritur, niſi per cæremoniarum ineffabilium obſervantiam, & per operationes rite factas Diis dignas, omnemque intellectum ſuperantes, perque vim inexplicabilium ſymbolorum, Diis ſolis intellectorum.* Hæc autem confirmat Proclus Libro III. Cap. 4. *Non per ſcientiam aut operationem ullam ingenii exquirere ſummum bonum, aut ad ipſum aſpirare debemus; ſed offerre, commendareque nos divinæ luci, & præcluſis ſenſibus in illa incognita & occul-*

occulta Entium unitate quieſcere. Hoc enim Fidei genus omni doctrina antiquius eſt. Quod quum cæremoniis fieret, & myſticis Theurgiæ ſymbolis, heinc præcipua erat Sacerdotum illorum cura Theurgicos ut probe tenerent ritus, ὀργασμοὺς, πλήσεις, καθάρσεις, adflatuum, conſecrationum, & purgationum diſciplinam, quemadmodum Porphyrius Libro *de Abſtinentia* monebat; relicta Philoſophis cura rationes eorum explicandi, & univerſæ Theurgiæ vindicandæ; quare Eruditorum error, de quo diximus, artem illam recentiori Platoniſmo nequicquam aſſerentium.

Quiſnam Deorum Theurgicis his Myſteriis & conſecrationibus revera præeſſe crederetur, oſtendit allegatus Theurgus Sacerdos Sectione I. Cap. 1. his verbis: *Deus eloquentiæ Præſes Mercurius olim recte exiſtimatus eſt* ἅπασι τοῖς ἱερεῦσιν *Sacerdotibus omnibus communis eſſe; quique ad veram de Diis ſcientiam præit, unus idemque eſt univerſis. Quare & Majores noſtri ſuæ ſapientiæ inventa illi dedicabant, omnia propria commentaria Mercurii nomine inſcribentes. Itaque, ſi hujus ipſius Dei etiam nos portionem nobis competentem, viribuſque parem nobis ſortiamur, tu quidem recte facis* (Porphyrium Quæſtiones

ſtiones de Theurgia moventem, deque ipſius virtute dubitantem, alloquitur heic Abammon Sacerdos,) *qui Theologicas ejuſmodi Quæſtiones* τοῖς ἱερεῦσιν *Sacerdotibus propoſueris. Neque enim decet, quum Pythagoras, & Plato, & Democritus, & Eudoxus, aliique plures veterum Græcorum reportarint, doctrinam congruam* ὑπὸ τῶν καθ' ἑαυτὴν γενομένων ἱερογραμματέων, *ab iis, qui iſthoc Seculo Sacrorum erant Præſides; ut tu, qui noſtro hoc tempore, eodem, quo illi veteres, animo quum ſis, ab iis, qui nunc vivunt,* καὶ καλουμένων κοινῶν διδασκάλων, *publicis Religionum Doctoribus & Miniſtris inſtitutionem non impetraris.* Hæc profecto quemadmodum animi purgationem, & unionem cum Diis, ſi Myſteriorum & cæremoniarum via quæreretur, Theurgis Sacerdotibus aſſertas fuiſſe oſtendunt, ita æque vel Ethnicos Philoſophos intellexiſſe, ea, quæ ad Religionem pertinent, ad ſolos ſpectare Sacerdotes oportere, non ad cæteros ſingulari etiam doctrina, aut dignitate eximia præſtantes. Quamvis enim allegata, tamquam a Theurgo Abammone pronunciata & ſcripta exhibeantur; Philoſophus fuit adhuc tamen, nempe Jamblichus, qui Sacerdotem ita loquentem induxit; Gentilis utique Philoſophus, cujus ver-

ba

ba nonnulli ut meditarentur neceſſe foret, quum veriſimile non ſit, publicos Religionum Miniſtros ita omnes affectos eſſe, ut divinis de rebus odio & ira potius, aut quæſtus cauſſa, aut pro dominationis arcano ſtatuant, & decernant, quam pro fide muneris, & Sacrorum majeſtate.

De Sacerdotibus revera Ægyptiis, deque Theurgicis eorum operationibus, agens Julius Firmicus in ſuo de Errore profanarum Religionum Libro, pro ipſorum opinione ſcribebat: *Quibus potentiſſimum Mercurii numen iſtius ſcientiæ ſecreta commiſit*. Jamque produximus illa Arnobii, Libro contra Gentes II. *Vos appello, qui Mercurium, qui Platonem, Pythagoramque ſectamini*. Mercurii vero Sectatores ſtatim eos addit fuiſſe, *qui ſecretarum artium ritibus neſcio quas affabantur Poteſtates*; ideoque eos, qui Angelorum cultum Theurgicis precibus, & cæremoniis, frequentabant. Eas autem & cæremonias, & preces inſtitutioni Deorum afferebat iterum Sacerdos allegatus Sectione V. Cap. 25. ſcribens: *Jam ſi hæc ex moribus hominum tantum fierent, & humanis tantum inniterentur conſtitutionibus, poterat quis dicere, Deorum Religiones eſſe noſtra inventa;*

nunc

nunc autem a Deo proficiſcuntur, qui per iſta Sacra invocatur. Εἰ μὲν οὖν ἀνθρώπινα ἤδη ταῦτα ἦν μόνον, κ. τ. λ. *Quando igitur ſub Numinibus inſpectantibus, auctoribuſque Sacrorum, Sacrificia offerimus Diis, omnino oportet caute obſervare legem & ordinem divinæ Sanctimoniæ in Sacrificiis; ſimul bono eſſe animo nos oportet, quoniam Diis auctoribus operamur*. Omnem igitur Theurgiæ ordinem ſicut a Diis inſtitutum, ita juxta ritum ab eiſdem præceptum exerceri oportuiſſe contendebant Sacerdotes, quemadmodum patet ex copioſiſſima illa totius Theurgiæ, ac Myſtagogiæ Complexione, quam in univerſo tradidit Jamblichus *de Myſteriis* Libro, nec non Simplicius *in Arianum* & Proclus *de Magia*, qui a Dæmonibus edoctos teſtabantur Theurgos, ſcilicet ab Angelis, quos δαίμονας græco nomine appellabant, ut *de Deo Socratis* monebat Apulejus.

Adeo vero abeſt, ut vel ab antiqua, vel a recentiori Philoſophia originem cultumque deduxerit ſuum Theurgia, ut eam Sacerdotibus omnino aſſeruerit Jamblichus, tametſi Philoſophus, qui Myſtagogiam immo omnem a Philoſophis etiam ſe antiquioribus corruptam fuiſſe, ſub Sacerdotis Perſona, his queritur verbis

Se-

Sectione VII. Cap. 5. *Contrarias de Divinitate non comminiſcimur notiones, ſed quemadmodum veritatem de ipſa conſequuti ſunt, qui primi Leges nobis de Sanctimonia tradidere*, οἱ πρῶτοι καταστησάμενοι τοὺς νόμους τῆς ἱερᾶς ἁγιστείας, *ſic in iis perſeveramus. Si quid enim aliud in Sacerdotalibus inſtitutionibus Deo congruat, ſane conſtantia & immutabilitas præcipue. Oportet etiam ritus adorationis antiquos tamquam ſacra aſyla ſemper conſervare eoſdem, & eodem modo, nihil ab eis detrahendo, nihil adjiciendo. Ferme namque & hoc cauſſa exiſtit, quod nunc dierum tum Nomina divina, tum preces, vim ſuam amiſere, propterea quod jam diu ſuſque deque permutarunt ea Græci novatores, & violatores*. φύσει γὰρ Ἕλληνές εἰσι νεωτεροποιοί, καὶ ἄττοντες φέρονται πανταχῆ, οὐδὲν ἔχοντες ἕρμα ἐν αὑτοῖς, οὐδ' ὅπερ ἂν δέξωνται παρά τινων διαφυλάττοντες, κ. τ. λ. *Græci ſane novarum rerum ſtudioſi ſunt, & leves circumquaque volitant, nihil habentes in ſe ſuburræ; quodque ab aliis acceperunt, non poſſunt conſervare, ſed cito illud contemnunt, omniaque transformant inſtabiles, & vocum novarum aucupes. Barbari vero, ut ſunt moribus graves, ſic & in vocabulis firmiter permanent. Quamobrem, & ii Diis ſunt accepti, & ſermones iis gratos adferunt, quos qui-*

quidem permutare nulli hominum apud eos fas eſt. Nicephorus Scholiis in Syneſium Orationem adfert Ægyptii Sacerdotis ad Ægyptium Regem, qua hunc hortabatur, ut arcana Religionis Myſteria cuſtodiret, neve ea ad Græcos pervenire ſineret, Sacrorum ſcilicet omnium Corruptores. Vetus ea erat adverſus græcorum levitatem ingeniorum querela, fatente etiam Porphyrio apud Euſebium, Græcos omnem corrupiſſe, quam ad Deos cognoſcendos a Majoribus acceperant, traditionem; quare ab ipſis pervium eſt immutatam fuiſſe Theurgorum veterum doctrinam, Myſteriaque ab Angelis, & cœleſtibus Spiritibus, ad vulgarium turbam Deorum translata, quæ idcirco viluere.

Ipſis vero Dæmonibus in lucis Angelos transfiguratis, eorumque Sacerdotibus, originem, conſervationem, propagationemque Theurgiæ aſſerit æque Divus Auguſtinus, Libro de Trinitate IV. Cap. 10. ſcribens. *Dæmon fallaciarum regnum exercet, & animas deceptas, illuſaſque præcipitat, pollicens etiam purgationem animæ per eas, quas* Τελετάς *appellant, transfigurando ſe in Angelum lucis per multiformem machinationem in ſignis & prodigiis mendacii*. Libro autem Confeſſionum X. Cap.

Cap. 43. ita idem Sanctus Pater : *Quem invenirem qui me reconciliaret tibi ? Ambiendum mihi fuit ad Angelos ? qua prece ? quibus Sacramentis ? Multi conantes ad te redire, neque per ſeipſos valentes, ſicut audio, tentaverunt hæc, & inciderunt in deſiderium curioſarum Viſionum, & digni habiti ſunt illuſionibus. Elati enim te quærebant doctrinæ faſtu, exercentes potius, quam tundentes pectora, & adduxerunt ſibi per ſimilitudinem cordis ſui conſpirantes, & ſocias ſuperbiæ ſuæ Poteſtates aeris hujus, quibus per potentias magicas deciperentur, quærentes mediatorem per quem purgarentur, & non erat. Diabolus enim erat transfigurans ſe in Angelum lucis, & multum illexit ſuperbam carnem quod carneo corpore ipſe non eſſet &c.* Dæmones igitur transfigurantes ſe in Angelos lucis mediationem ſpondebant ſuam illis, qui, philoſophari non valentes, conabantur adhuc animum purgare, & unire cum Diis ; indeque Theurgia orta, conſervata, & propagata eſt apud Ethnicos nonnullos Sacerdotes Theurgorum nomine donatos, ad quos ea pertinebant ejuſdem Auguſtini ad Porphyrium Theurgiæ Vindicem jam citata ; *Tu autem didiciſti hoc, non a Platone, ſed a Chaldæis Magiſtris tuis,*

ut

ut poſſent Dii veſtri Theurgis pronunciare divina . . . . . Neſcio quomodo amicis ſuis Theurgis erubeſcebat Porphyrius . . . . Non vis Theurgos offendere , a quibus iſta didiciſti . . . . mittis homines ad Theurgos , ut per eos anima ſpiritualis purgetur illorum , qui non ſecundum intellectualem animam vivunt . Ex quibus magis magiſque manifeſtum fit, ſolis a Hieraticis Theurgica Myſteria fuiſſe celebrata .

Quærere quis tamen poſſet , num Coloſſis fuerint Sacerdotes arti Theurgicæ addicti , quare ad Coloſſenſes Chriſtianos ſcriberet Apoſtolus , ne ſe ſe illorum decipi jactationibus & promiſſis paterentur ? Quonam in loco , & quonam tempore , erant Theurgica hæc Myſteria uſurpata ? Has etiam tamen Quæſtiones aliquo illuſtrare modo impervium non eſt . Plurimi fuere quippe , recte animadvertentes , intimo adeo nexu conjunctam fuiſſe cum Idololatria Theurgiam , ut ubicumque illa fuerit , hanc quoque ſive purioribus , ſive impurioribus Myſteriis exercitam fuiſſe intelligamus . Itaque ſi in Phrygia , & Coloſſis , Ethnici innumeri ætate Paulli erant , quod nemo inficiabitur , quis Theurgos Sacerdotes illic fuiſſe dubitare jure poſſet ? Quanta præ cæteris ſuper-

perſtitione Aſiæ minoris Populi olim laboraverint, dici vix ſatis poteſt. Cicero, Libro de Divinatione I. *Auſpicia vero*, inquiebat, *nunc a Romanis Auguribus ignorantur, a Cilicibus, Pamphyliis, Piſidis, Lyciis tenentur*. Chaldaicam ſane Theurgiam in Aſiæ minoris, & Phrygiæ incolas & Urbes inducere ſe ſe facili ratione potuiſſe, ex eo manifeſtum credimus, quod, etiamſi antiquis temporibus omnem illam Aſiæ oram Græcia frequentibus Coloniis infediſſet, quæ diu etiam manſere; attamen Perſarum Regibus, Satrapiſque poſtea ſubjectæ, Babylonicos quoque, & Chaldaicos ritus, & Sacra videntur admiſiſſe; conflagrato ſiquidem Dianæ Epheſiæ Templo, ut ex antiquiſſimis Scriptoribus refert Freinshemius, Libro I. Supplementi in Curtium, *Magi, qui tum Epheſi degebant, totam Urbem mæſtis implevere clamoribus: exortam alicubi facem, cujus incendio, ſimilem ob cauſam, totus olim Oriens conflagraturus eſſet*. Id inter oſtenta Deorum, inter conceptum, editumque Alexandrum, quantus homo naſceretur portendentia dum recenſerent qui Epheſum incolebant Magi, argumento eſt, jam tum Chaldaicæ Religionis Miniſtros illis in partibus receptos.

tes . Nonne eadem in Urbe Epheſina , Coloſſenſi proxima , Apoſtolorum tempore , tot inventi fuere luſtrationibus Theurgicis , & Myſtagogicis initiationibus addicti ? Apertiſſimum hujus extat rei teſtimonium in Actis Apoſtolorum Capite XIX ubi quum plurima narraſſet Lucas ſigna a Paullo perpetrata , ita pergit : *Multique credentes veniebant , confitentes , & annunciantes actus ſuos ; multi autem ex eis , qui fuerant curioſa ſectati* , ἱκανοὶ δὲ τῶν τὰ περίεργα πραξάντων , *contulerunt Libros , & combuſſerunt coram omnibus : & computatis pretiis illorum , invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium* . Perierga illa jam diximus ſuperſtitioſas fuiſſe luſtrationes , & initiationes myſtagogicas , quibus referta erant Theurgorum Sacra . Recte Latinus Interpres vertit : *qui fuerant curioſa ſectati* ; nam Auguſtinus , ut vidimus , de Theurgia adverſus Porphyrium diſſerens , iiſdem utitur dicendi modis : *ut placeas illicitarum artium curioſis , vel ad eas facias ipſe curioſos . . . . plus apud eos curioſitas valuit quorumcumque Angelorum cognoſcendorum , & colendorum . . . . inciderunt in deſiderium curioſarum Viſionum , & digni habiti ſunt illuſionibus* . Libros illos ab Epheſinis Creden-

tibus combuſtos continuiſſe ſuſpicarer prodigiorum, ac præſtigiarum narrationem, Theurgiæ, & Angelorum ope patratarum; præſertim ob allegata jam ex Libro X. de Civitate Dei Auguſtini verba: *Porro, ſi multorum Deorum Cultores, ab eis facta eſſe miracula, vel Civilium rerum Hiſtoriæ, vel Libris Magicis, ſive, quod honeſtius putant, Theurgicis credunt &c.* Et Dæmones quidem præſtigias aliquas operari poſſe, vera miracula non poſſe, hoc præſertim Seculo oſtenderunt Fletwodius, Verenstelſius, Noltenius, Turrettinus, & Jacobus Serces adverſus Samuellem Clarkium, virtutem miraculorum Angelis concedentem. Etiamſi difficillimam hanc Quæſtionem paucis mihi videtur facillime illuſtraſſe & ſolviſſe Angelicus Præceptor, dum I. Parte. Quæſtione CX. articulo 4 ſcripſit: *Cum Dæmones aliquid faciunt ſua virtute naturali, miracula non dicuntur ſimpliciter, ſed quo ad nos*, rationem optimam ſubjiciens: *quia cum aliquid fit præter ordinem Naturæ creatæ nobis notæ per virtutem creatam nobis ignotam, eſt miraculum quo ad nos*. Theurgi ſane Angelis Mundi Principibus, ut vocabant, omnem tribuebant in Elementa poteſtatem: quod Auguſtinus confuta-

futabat Libro III. de Trinitate ſcribens: *Non eſt putandum iſtis tranſgreſſoribus Angelis ad nutum ſervire hanc viſibilium rerum materiam, ſed ſoli Deo*. Theurgiæ conſervandæ, proferendæque tamen, neceſſe omnino non erat, Angelos ejuſmodi aut ſemper comparuiſſe, aut vera prodigia perpetraſſe; ſatis erat modo aut præſtigias ab ipſis editas, aut ſomnia vagantes excitaſſe, aut Gentilium Vulgus eos plurimum poſſe ſibi perſuaſiſſe. Quantum hac ab opinione aberat M. Tullius! qui tamen Libro de Inventione I. de inductione loquens ad affectus commovendos, ſcripſit: *Primus locus ſumitur ab Auctoritate, cum commemoramus, quantæ curæ res ea fuerit Diis immortalibus, aut eis, quorum auctoritas graviſſima debet eſſe. Qui locus ſumetur ex ſortibus, ex Oraculis, Vatibus, oſtentis, prodigiis, Reſponſis, ſimilibus rebus*. Heinc infinita apud Ethnicos talium prodigiorum Commenta. Scribit ſiquidem Svetonius in Vita Auguſti, Cap. 31. *Quidquid fatidicorum Librorum græci, latinique generis, nullis, vel parum idoneis Auctoribus vulgo ferebatur, ſupra duo millia undique contracta concremavit*. Tacitus pariter, Libro Annalium IV. memoriæ mandavit, juſſiſſe Au-

Q 2 gu-

guſtum, quæſitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam, Siciliam, & Italicas Colonias, carminibus fatidicis, nemini privatim Libros illos habere fas eſſe, datumque Sacerdotibus negotium, humana quantum poſſent ope, vera a falſis diſcernerent. Una adhuc tamen Epheſina in Urbe apud Populi partem tot reliqui fuerant Codices Theurgici: adeo altas profundaſque egerat in Phrygia radices illud malum.

Revera, tum Angelorum cultus, tum a vino, ab animatis, & a licita etiam Venere abſtinentia illis diutius in locis, quam alibi perſeveravere. Nam Theodoretus, Commentario in hanc Epiſtolam ad Coloſſenſes, explicans directa ad eos Paulli verba: *Nemo vos ſeducat in humilitate & Religione Angelorum*, animadvertit, Phrygas adeo Angelorum cultui deditos fuiſſe, ut ne Laodiceni quidem tempore Concilii fuerit ab eorum Nepotibus averruncatus. Scribit quippe: *Manſit autem perdiu hoc vitium in Phrygia, & Piſidia, proindeque Synodus, quæ apud Laodiceam Phrygiæ convenit, lege prohibuit, ne adorarent Angelos.* ἔμεινε δὲ τοῦτο τὸ πάθος ἐν τῇ Φρυγίᾳ καὶ Πισιδίᾳ μέχρι πολλοῦ, κ. τ. λ. Sed haud minus illis perſeveraveſe in locis mores cæteri ad Theurgiam pertinen-

nentes . Tatianus ſiquidem , Encratitæ , & Cataphryges hæretici , a vino , ab animatis , & a nuptiis adeo alieni , Viſionibus vero , & Revelationibus , quemadmodum qui ab eis deſcenderunt Montaniſtæ , incredibiliter addicti , omnes in Phrygia præcipue egerunt , ut ex Epiphanio aperte copioſeque patet . Cataphrygis autem , ſuo ſatis nomine cujuſnam eſſent regionis incolæ oſtendentibus , Hæreſi XLVIII. aptat & accommodat idem Sanctus Pater Prophetiam Paulli : *Diſcedent quidam a ſana fide , attendentes Spiritibus erroris , & doctrinis Dæmoniorum , prohibentium nubere , abſtinere a cibis , quos Deus creavit &c.* Præconcipit igitur Epiphanius , Hæreticos Phrygas , poſt ætatem Apoſtoli exortos , ſuperſtitioſum vini , animatorum , & Nuptiarum odium ab illo deduxiſſe Angelorum cultu , in quo nefarium erat aliquibus uti cibis , atque Venere , proindeque diſciplinam ſuam a Theurgorum Myſteriis accepiſſe . Id vero , ut Hæreſeon illarum magis ac magis Syncretiſmum confirmat , ita ſatis etiam indicat , Theurgica illa Myſteria ſuam jam antea habuiſſe in Phrygia ſedem ; quare nil omnino mirum , Divum Paullum Coloſſenſes eos , & Laodicenſes , qui in Phrygia Chri-

ſto nomen dederant, amantiſſime monere voluiſſe, ne vel ab Angelorum prodigiis & Viſionibus, quas Libri Theurgorum continebant, vel a ſpecie virtutis illa, quam Theurgorum Diſciplina oſtentabat, recto ſe a tramite dimoveri paterentur.

Præcipuorum ad Ædes Deorum ſolitos fuiſſe recipere, & colligere ſe ſe eos, qui a cæteris ſe ſequeſtrantes, Theurgicis initiari in Myſteriis cupiebant, veriſimile arbitramur. Erui id poteſt ex Ruffini Libro II. Cap. 43. princeps Alexandriæ Templum ita deſcribentis: *Serapis apud Alexandriam Templum auditum quidem omnibus puto, pleriſque vero etiam notum. Locus eſt, non natura, ſed manu, & conſtructione, per centum, aut eo amplius gradus in ſublime ſuſpenſus, quadratis, & ingentibus ſpatiis omni ex parte diſtentus: cuncta vero, quo ad ſummum pavimentorum pervadatur, opere forniceo conſtructa, quæ immenſis deſuper luminaribus, & occultis aditibus invicem inſemet diſtinctis, uſum diverſis miniſteriis, & clandeſtinis officiis exhibebant. Jam vero in ſuperioribus extrema totius ambitus ſpatia occupant Exedræ, & Paſtophoria, domuſque in excelſum porrectæ, in quibus vel Editui, vel hi, quos* ἁγνεύοντας *vocant*, ideſt,

qui

qui ſe ſanctificant, purgantque, *commanere ſoliti erant. Porticus quoque poſt hæc omnem ambitum quadratis ordinibus diſtinctæ intrinſecus circumibant. In medio totius ſpatii Ædes erat &c.* Juxta Vitruvianas Architecturæ leges conditum videtur fuiſſe illud Serapis Templum; Porticus namque Deorum Templis adjiciendas docuit Vitruvius Libro V. Cap. 9. ſubjiciens Capite undecimo. *Conſtituuntur in Porticibus* (Templorum) *Exedræ ſpatioſæ, habentes ſedes; in quibus Philoſophi, Rethores, reliquique, qui ſtudiis delectantur, ſedentes diſputare poſſint.* Hiſce in Porticibus διατριβὰς ſæpenumero Sophiſtas, & Philoſophos feciſſe, ibique docuiſſe, paſſim patet ex vita Apollonii, atque ex cæteris Philoſtrati Sophiſtarum vitis. Hinc Julius Capitolinus, in vita Marci Aurelii, Cap. 26. *Apud Ægyptios civem ſe egit, & Philoſophum in omnibus ſtudiis, templis, & locis.* Nam & ad Deorum Templa conſtitutas fuiſſe Bibliothecas, Ryckius, Struvius, aliique plurimi Romanarum Commentatores rerum monent. Ut vero in Porticibus Templorum diſputabant, docebantque Rethores, & Philoſophi; ita ad Templorum gradus videtur fuiſſe Populus ad concionem appellatus; narrante Philoſtrato in vita

 Apol-

Apollonii Tyanenſis: *Et primam quidem Epheſi Orationem ex Templi crepidine habuit Apollonius* ἀπὸ τῆς κρηπῖδος τοῦ νεώ. Templum autem Dianæ intelligit, quod περίπτερον erat, hoc eſt alis, ſive columarum ordinibus circumdatum, ut ex nummis Epheſiorum, atque Chiffletianis ex Schedis, denique ex Spanhemio, monet ad hunc Philoſtrati locum Gottfridus Olearius. Erat autem κρηπὶς, ut apud Heſychium, τὸ ἐφ' ᾧ οἱ στυλόβαται, quod & Pauſanias firmat, locus ille, in quo conſiſtunt ad faciem Templi columnæ. Simili in loco, ἀπὸ τῆς κρηπῖδος τοῦ νεὼ, *e Templi crepidine* Apollonium aliam habuiſſe in Olympia concionem, ſubjicit Philoſtratus, ejuſdem Libri Cap. 31. quare Populus concionem ut audire poſſet, ad gradus Templi conveniſſe intelligitur. Neque id mirum. Sunt quippe, qui, paucis exceptis, veluti Jovis Olympii Athenis, Dianæ Epheſiæ, Adriani, & Veſpaſiani Romæ &c. reliqua generatim Antiquorum Templa exigui nimium ambitus fuiſſe arbitrentur, quo Populi copiam continere poſſent, interiore Templo in cella Numinis, exteriore in adjectis ornamentis conſiſtente; Chalcidenſibus autem Baſilicis nondum, ante Conſtantinum, ad uſum Religionis conſtitutis. Ita certe do-

ctus

ctus Anonymus in actis Trevultianis, Anni MDCCLIX. Quamvis, ut verum fatear, nonnulla ſuccurrunt quæ in dubitationem inducant, an tam brevis, & exigui ambitus Romæ fuerint interiora etiam Templa. In iis ſiquidem Senatum habere Romanos ſolitos fuiſſe certius eſt quam ut heic id probare debeamus; aitque Svetonius in Vita Auguſti: *Quo autem lecti probatique & religioſius, & minore moleſtia ſenatoria munera fungerentur* (Senatores) *ſanxit, ut priuſquam conſideret quiſque, thure & mero ſupplicaret apud aram ejus Dei, in cujus Templo coiretur*. Fuiſſe tunc ſuper mille Senatores memorat idem Hiſtoricus, quamvis tam affluentem eorum turbam Auguſtus reformaverit. Qui autem in anguſta Numinis cella univerſus Senatus coire potuiſſet? Sed & locus eſt Juliani ad Arſacium Pontificem Galatiæ de Præſidibus Provinciarum ſcribentis, in quo ait; *Ingredientibus illis in Urbem nemo Sacerdos obviam prodeat: niſi quando ad Templa Deorum accedunt, ſolum intra veſtibula. Eos intrantes nullus miles præcedat, ſequatur autem qui vult. Nam ſimul ut ingreditur limen delubri, perſonam privati induit: ſiquidem ipſe, ut noſti, his, qui intus ſunt præes, propterea quod Divina Lex iſtud poſtulat*.

ſtulat. Si totum interius Templum in Cella, ſitum erat, quî potuiſſent de milite ſecum in Templum ducendo cogitare Præſides Provinciarum?

Quemadmodum autem illæ Porticus, atque Exedræ ad præcipuas Deorum Ædes inveniebantur, ita & Paſtophoria, atque Ædituum domus, in quas ſe ſe reciperent, colligerentque, caſtimoniæ, abſtinentiæ, ſacriſque collationibus cum Myſtagogis, toto præparationis tempore, operam daturi, qui Deorum in Myſteriis erant initiandi. Singulariſſimæ profecto eruditionis eſt id, quod in Epiſtola Juliani Cæſaris ad Arſacium, ſummum Galatiæ Sacerdotem, reliquum adhuc reperitur, his verbis: *Quid eſt porro illi concedendum homini, qui Sacerdotale munus ſortitus eſt, dum a Sacrorum adminiſtratione vacat? Equidem ſic ſtatuo: Sacerdotem oportere noctes, & dies purum ſe ab omnibus atque integrum præſtantem, tum ſingulis noctibus, iis ſe ſe luſtrationibus expiantem, quas ſacri ritus præſcribunt; ita demum intra Templi ſepta ſe ſe continere tanto dierum ſpatio, quanto Leges præſcribunt. Etenim Romæ apud nos triginta præſtituti ſunt dies, alii aliter ſtatuunt. Itaque per omnes illos*

los dies in Templis reſidere ac philoſophari mea quidem ſententia convenit. Εὔλογον οὖν οἶμαι μόνον ἅπαντας ταύτας τὰς ἡμέρας ἐν τοῖς ἱεροῖς φιλοσοφοῦντα. Quale vero illud philoſophandi, ſive divinis diſſerendi de rebus apud Sacerdotes eſſe oporteret genus, ita tradit idem Julianus: *Neque enim aut omnibus, aut omnium dogmatibus auſcultandum eſt, ſed illis, aut eorum decretis dumtaxat, quæ pietatem animis ingenerare poſſunt; deque Diis ita nos docent: primum aliquos eſſe, deinde rerum harum infirmarum penes illos eſſe curam; ad hæc, nil illos mali neque hominibus, neque cæteris inferre, livore, invidia, ac mutuis inter ſe præliis exexcitos; cujuſmodi quum Poetæ noſtri ſcriptis ſuis prodiderunt, contemptui habiti ſunt*. Plutarchus in Dialogo de Oraculorum defectu, Colloquutores conſediſſe ponit ad Templum Delphicum, multaque ibi verba de Oraculorum Auctoribus, eorumque fatis, & fine, commutaſſe. Scripſerat autem Cicero, Libro de Divinatione I *In Perſis augurantur, & divinant Magi, qui congregantur in Fano, commentandi cauſa, atque inter ſe ſe colloquendi: quod etiam idem vos facere quondam Nonis ſolebatis*. Immo apud Thomam Hyde, in Hiſtoria Religionis veterum

rum Perſarum, Capite 30. leges extant, quas ex Libro *Zundavaſtavo* Henricus Lordius exſcripſit, inter quas hæc quoque: *Maximam ſui temporis partem in Templo tranſiget Sacerdos, ut ibi ſit in promptu ad docendum omnes, qui illuc veniunt*. Revertimur ad Myſteria. Quum intra Templi ſepta ſe ſe per vices continerent Sacerdotes ſtato dierum ſpatio, quo divinis de rebus agere conſueverant, & in illis Sacerdotum ædibus loca eſſent, iis, qui purgare ſe ſe, & initiari cupiebant, deſtinata, veriſimile eſt, in Paſtophoriis peractam omnem fuiſſe ad Myſteria præparationem.

Statis ne diebus colligerent ſe ſe qui initiari in Myſteriis Theurgicis optabant, definire facile non eſt, ob eam, qua laboramus, Theurgicorum inopiam monumentorum. Sua certe determinata habebant præparationis tempora Initiationes quæcumque. Annum ſaltem fuiſſe intermedium inter minorem, & majorem Initiationem in Myſteriis Eleuſiniis oſtendit antiquis ex Scriptoribus Iſaacus Caſaubonus, animadverſionibus in Librum Athenæi IV. Cap. 15. Decem dierum ſpatio ſe ſe ad initiationem in Myſteriis Iſidis, & Oſiridis, præparare debuiſſe teſtatum legimus Apulejum, ſcriben-

bentem : *Præcepit Sacerdos decem illis continuis diebus cibariam voluptatem coercerem, neque ullum animal eſſem, & invinius eſſem .... rurſum decem diebus, inanimis contentus cibis &c.* Quum Theurgos, Angelorum Cultores, conferat Clemens Alexandrinus illis cum Hæreticis, qui a Venere, vino, & animatis ſemper eſſe abſtinendum ducebant, pervium eſt ſuſpicari, perpetua caſtimonia, & abſtinentia puros eſſe oportuiſſe eos, qui ad viſiones Angelorum, & ad unionem cum Diis aſpirabant. Quod indicaſſe videtur etiam Hieronymus Libro I. adverſus Jovinianum ſcribens : *Legant nuptæ antequam Religio noſtra fulgeret in mundo, unicubas ſemper habuiſſe inter Matronas decus; per illas Fortunæ muliebri ſacra fieri ſolitum, nullum Sacerdotem digamum, nullum flaminem bimaritum; Hierophantas quoque Athenienſium uſque hodie cicuitæ ſorbitione caſtrari, & poſtquam in pontificatum fuerint electi, viros eſſe deſinere*. Utcumque tamen de præparatione ipſorum fuerit, & ubicumque ſe ſe ad initiationem præparaverint, certum eſt, initiationis cæremoniam niſi in Templis celebratam non fuiſſe; quod ſatis evincunt illa Auguſtini jam laudata : *Perhibentur Dæmones in-*

ady-

adytis ſuis, *ſecretiſque Penetralibus*, *dare quædam bona præcepta de moribus*, *quibuſdam veluti Electis*, *& ſacratis ſuis . . . . ſed ubi hoc*, *niſi in Dæmonum Templis? ubi*, *niſi in fallaciæ diverſoriis?* Apertiſſime quoque Apulejus locis jam citatis: *Sacerdos maximus*, *& qui venerandis penetralibus jam fuerant initiati . . . Rurſumque me ad Templum reductum*, *ante ipſa Deæ veſtigia conſtituit*, quo ſcilicet initiaretur. Diogenes Cynicus apud Julianum, improbos, ſi initiarentur, nihil amplius ex eo conſequi ſtatuebat, *quam quod in interiorum adyta penetraſſent*. Heraclides Ponticus, Allegoriis in fabulas Homeri, his utebatur terminis: *Nos vero*, *qui penitiori doctrina imbuti ſumus*, *& veluti in ſacratiora Fanorum loca admiſſi*, *purificatique &c.* ἡμεῖς δ' οἱ τῶν ἀβεβήλων ἐν τοῖς περιῤῥαντηρίων ἡγνισμένοι, κ. τ. λ. Id vero cæteris Myſteriis commune, in Theurgicis quoque uſurpatum fuiſſe propterea arbitramur, quod, referente Porphyrio in Vita Plotini, quum Ægyptius quidam Sacerdos, fortaſſe Abammon ille, ad quem Porphyrii Epiſtola data eſt de Myſteriis Theurgicis, & ſub cujus perſona Jamblichus ea propugnavit, quum Romæ degens neſcio quas Angelicas viſiones oſtendere
veller

vellet Plotino, hunc ad Iſidis Templum idcirco duxit. Ita quippe illa de invocatione & viſione citatus Porphyrius: *Acta vero eſt in Æd: Iſidis; ſolum namque Romæ hunc locum purum ait Ægyptium inveniſſe*. γίνεται μὲν ἐν τῷ Ἰσίῳ ὁ ἡ κλῆσις, μόνον γὰρ ἐκεῖνον τὸν τόπον καθαρὸν φησιν εὑρεῖν ἐν τῇ Ῥώμῃ τὸν Αἰγύπτιον. Quis revera aptior Conſecrationibus Theurgicis locus, Adytis, & Penetralibus Templorum?

Poſtrema Idololatriæ ætate apud pauciſſimos Ethnicorum Sacerdotes adſervatam fuiſſe Theurgicorum Myſteriorum artem & adminiſtrationem evincit ratio agendi Juliani Apoſtatæ qui tametſi Præceptorem habuiſſet Jamblichum, e cujus etiam Libris, de natura Deorum, cultu, apparitionibus, cæremoniis, & occultiore Theologia ſe Myſteriis illis initiatum proteſtabatur, in Oratione præſertim de Sole, ubi inquiebat: *Chalcidenſem Jamblichum dico, qui cum alia in Philoſophia, tum hæc ipſa nos arcana, Libris ſuis edocuit, ſive iis nos initiavit*. Τὸν Χαλχιδέα φημὶ τὸν Ἰάμβλιχον. ὃς ἡμᾶς τά τε ἄλλα περὶ τὴν φιλοσοφίαν, καὶ δὴ καὶ ταῦτα διὰ τῶν λόγων ἐμύησεν. Adire tamen Athenienſem quemdam voluit illo ævo celebrem Antiſtitem, quemadmodum Eunapius *in Maximo* teſtatur, qui ubi

Ju-

Julianum Cæſarem, eique, quod ad id genus doctrinas, divinoſque adflatus ὁμοψηφῶν Chriſantio in Ionia vacaſſe aliquamdiu tradidiſſet, addit: *Ut vero pulchre illic fuit inſtructus Julianus, ubi intellexit plus aliquantum latere in Græcia apud Hierophantam Eleuſiniorum Sacrorum Antiſtitem, velociter illuc accurrit. Nomen Antiſtitis, qui tunc temporis Fano præerat, effari fas mihi non eſt, quod hujuſce Libri Auctorem Sacrorum arcanis initiavit, atque inter Eumolpidas retulerit. Tunc temporis Julianus familiari diviniſſimi Antiſtitis uſus colloquio, & expletus ſapientia &c.* ὡς δὲ καὶ ταῦτα εἶχε καλῶς, αἰσθόμενός τι πλέον εἶναι κατὰ τὴν Ἑλλάδα παρὰ τῷ τῶν θεαῖν ἱεροφάντῃ, κ. τ. λ. Subdit Paullo poſt Eunapius, Juliano in Galliis, ad quas pacandas cum Cæſaris poteſtate miſſus fuerat, hærente, accitum e Græcia ab illo eumdem Athenienſem Sacrorum Antiſtitem, *cum quo, remotis arbitris, nonnulla ſolis ipſis cognita peregerit; quum ceteroquin omnes lateret, quod Deorum cultui foret ipſe addictus*. Una hæc vero agendi ratio Juliani vehementiſſime corfirmat id quod pluribus ſtatuebamus, hoc eſt, Theurgicas quidem doctrinas a Philoſophis illuſtratas fuiſſe, & vindicatas; ſolis tamen ab Hierophantis, Sacerdoti-

dotibus, & Myſtis Theurgicorum Myſteriorum initiationem conſecrationemque fuiſſe celebratam. Si enim Julianus qui a Præceptore Jamblicho omnem jam didicerat de natura Deorum, & Angelorum, eorumque cultu, adparitionibus, cæremoniis, reconditaque & occultiore Theologia doctrinam, adire tamen primum, deinde accire ſibi voluit Antiſtitem Athenienſem; ſequitur, a Philoſophis Theurgicorum Myſteriorum theoriam tradi, & explicari; a Sacerdotibus autem initiationis cæremoniam perfici ſolitam fuiſſe; præſertim quod communis non modo erat Ethnicorum perſuaſio, preces hominum per Sacerdotes ad Deos ſubvehi, & Deorum bona per Sacerdotes ad homines tranſmitti; verum etiam qui Theurgicis fidem Myſteriis dabant; credebant æque, Theurgos Sacerdotes per electionem, conſecrationem, & ſynthemata factos fuiſſe veluti divinæ conſortes naturæ, ἐν τοῖς τῆς θείας φύσεως, ut animadvertit Thomas Galæus, in adnotationibus ad hæc Jamblichi *de Myſteriis* verba, Sectione IV. Cap. 2. quare ab eorum non tam cæremoniis, ac ritibus, quam poteſtate Myſtagogica, & tamquam a veris Angelorum & Numinum Miniſtris, univerſum purgationis ani-

mæ, & unionis ipſius cum Diis beneficium repetendum eſſe exiſtimarent.

Heic vero non poſſumus, quin maximam ac vere divinam admiremur Chriſtianæ Religionis vim, & præſtantiam in negotio liberationis, & purgationis animæ, & unionis veluti cum Deo, præ Philoſophia, & falſis Religionibus Gentilium. Huic purgationi, & liberationi ſtudendum eſſe univerſum intellexit Genus humanum, ob laudatam jam trium naturæ ſtatuum, innocentiæ, corruptionis, & purgationis, liberationiſque perſuaſionem; quare purgationis hujus de inſtrumentis & mediis ſolliciti fuere docti, indoctique, ſapientes, ac vulgus omnium Gentium, & Nationum, Philoſophi præcipue, ac Sacerdotes; ſed utroſque imaginem & umbram veritatis nactos ipſa fugit veritas, veriſque inſtrumentis & mediis ad finem illum obtinendum caruere. Et Philoſophi quidem, niſi per virtutes uniri nos non poſſe cum Deo cogitantes, dum propriis tamen & naturalibus virtutibus id ſe conſequuturos perperam ſperabant, quantum aberant, ut cum Deo revera unirentur! Sacerdotes ex oppoſito divinæ beneficium virtutis id eſſe modo poſſe conſtituentes, veriorem proponebant animæ ſanan-

nandæ, & perficiendæ viam; ſed qui fieri id poterat inanibus iis cæremoniis, & Myſteriis Deorum, ſive potius Dæmonum, haud minus quam homines culpæ labe laborantium? Religio Chriſtiana Chriſtum Deum Hominem, verumque & unicum adorans Mediatorem, per virtutes Theologicas, inſtitutaque ab ipſo Myſteria & ſacramenta, humanos animos vere liberat, & purgat, eoſque unit denique cum Deo. Quæ quidem omnia egregie vidit, expreſſitque Lactantius Libro Divinarum Inſtitutionum IV. Cap. 3. ſcribens: *Quoniam igitur, ut dixi, Philoſophia, & religio Deorum disjuncta ſunt, longeque diſcreta (ſiquidem alii ſunt Profeſſores ſapientiæ, per quos utique ad Deos non aditur, alii Religionis Antiſtites, per quos ſapere non diſcitur) apparet, nec illam veram eſſe ſapientiam, nec hanc religionem. Idcirco nec Philoſophia potuit veritatem comprehendere, nec religio Deorum rationem ſui, qua caret reddere. Ubi autem ſapientia cum religione inſeparabili nexu cohæret, utrumque verum eſſe neceſſe eſt, quia & in colendo ſapere debemus, ideſt ſcire quid nobis, & quomodo ſit colendum; & in ſapiendo colere, ideſt, re & actu, quod ſcierimus implere. Ubi ergo ſapientia cum Religione conjungi-*

jungitur? Ibi ſcilicet, ubi Deus colitur unus; ubi vitia & actus omnis ad unum caput, & ad unam ſummam refertur. Denique iidem ſunt Doctores ſapientiæ, qui & Dei Sacerdotes. Nec tamen moveat quemquam, quia ſæpe factum eſt, & fieri poteſt, ut Philoſophus aliquis Deorum ſuſcipiat Sacerdotium: quod cum fit, non tamen conjungitur Philoſophia cum Religione; ſed & Philoſophia inter ſacra ceſſabit, & Religio, quando Philoſophia tractabitur. Illa enim Religio muta eſt, non tantum quia mutorum eſt; ſed quia ritus ejus in manu & digitis eſt, non in corde aut lingua, ſicut noſtra, quæ vera eſt. Idcirco & in ſapientia Religio, & in Religione ſapientia eſt; ergo non poteſt ſegregari, quia ſapere nihil aliud eſt, niſi Deum verum juſtis ac piis cultibus honorare. Vera igitur Myſteria veris cum virtutibus conjunxit Chriſtus, factus propitiatio, & vere *purgationem peccatorum faciens*, ut Apoſtoli verbis utar in Epiſtola ad Hebræos primo Capite; *quem utinam Porphyrius cognoviſſet*, inquiebat Auguſtinus Libro X. de Civitate Dei Cap. 27. *eique ſe potius, quam vel ſuæ virtuti, quæ humana, fragilis, & infirma eſt; vel pernicioſiſſimæ curioſitati ſanandum tradidiſſet*. Solis namque virtutibus a Deo deſcen-

ſcendentibus, ſimulque ritibus a Chriſto conſtitutis, ea inducta eſt Teleturgia, qua veram purgationem, liberationem, & perfectionem animæ conſequuntur Mortales, & in terris adhuc verſantes, cum Chriſto Eccleſiæ Capite veroque Deo conjunguntur.

Digitized by Google

CAPUT XII.

Ex Theurgicis Ethnicorum Myſteriis doctrina Apoſtoli explicatur.

TAndem jam vero Illuſtris Paulli locus in adcuratius examen revocandus eſt, omneſque phraſes ipſius, & verba conſideranda ſingillatim ſunt, & cum expreſſis aliquorum veterum Patrum teſtimoniis conferenda, quo integrum textum pro eorumdem quoque doctrina & mente, niſi Theurgicis Ethnicorum Myſteriis aptari non poſſe intelligamus. Quod tamen antequam præſtemus, de ſcopo Apoſtoli præcipuo in illa ad Coloſſenſes Epiſtola agamus neceſſe eſt, quem ſi non alium fuiſſe conſtabit, quam Theurgiæ oppugnationem,

nem, tunc interpretationem noſtram quis rejiciendam eſſe exiſtimabit? Jam vero Capite Epiſtolæ illius I. & ante ea, quibus de agimus, in hoc Commentario verba, ita Coloſſenſes alloquebatur Paullus: *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de Poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filii dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus remiſſionem peccatorum: qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in cœlis, & in terra, viſibilia, & inviſibilia, ſive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates; omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant, & ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ, qui eſt Principium, Primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens, quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt. Et vos cum eſſetis aliquando alienati, & inimici ſenſu in operibus malis: nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem exhibere vos Sanctos,*

& immaculatos, & irreprehenſibiles coram ipſo. Pulcherrimum, immo egregium ſunt hæc Proemium eorum, quæ confeſtim contra Theurgiam dicturus erat Apoſtolus; ſcilicet Coloſſenſes docere incipit, Deum Patrem non per Angelos, aut, quemadmodum Theurgi etiam ſolebant appellare, per Principatus, ſive Dominationes, ſive Poteſtates, ſed per ſolum Chriſtum, ſalutis unicum Principium, & mediatorem, ſibi homines reconciliaſſe. Et rurſus Capite 2. vix ante ea, quæ mox enarraturi ſumus verba: *Conſepulti in Baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis . . . & expolians Principatus, & Poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Quibus verbis Angelos iterum reſpiciebat, quorum mediatione purgationem & liberationem animæ, unionemque cum Deo indeptum iri confidebant Theurgi. Hunc autem fuiſſe procul dubio Paulli ſcopum, apertiſſime docet, ac tradit magnus Chryſoſtomus ſuis in hanc Epiſtolam ad Coloſſenſes Homiliis; ſiquidem in priori ita fatur: *Operæ pretium eſt autem dicere etiam argumentum, quod invenimus ex Epiſtola. Quodnam autem eſt hoc? Per Angelos ad Deum accedebant,* δι' Ἀγγέλων προσήγοντο τῷ θεῷ, *obſervationes multas habebant,*

&

& Judaicas, *& Gentiles*. παρατηρήσεις ἔχον πολλὰς καὶ Ἰυδαϊκὰς, καὶ Ἑλληνικάς. Argumentum igitur illius Epiſtolæ eos reſpiciebat non modo qui judaicæ Legis neceſſitatem eo tempore adhuc urgebant, Pſeudoapoſtolos videlicet Judaizantes, verùm etiam eos, qui Angelorum cultu, & mediatione ad Deum eſſe accedendum contendebant. Quare conſilium erat Paulli magis magiſque oſtendere Coloſſenſibus, & Laodicenſibus, nullam amplius eſſe neceſſitatem Legalium cæremoniarum, & obſervationum, erraresque Pſeudoapoſtolos contra cogitantes, ut egregie docet Angelicus Præceptor noſter Divus Thomas, Lectione II. in Caput II. ejuſmodi Epiſtolæ; & ſatis evincunt textu verba: *Nemo vos judicet in cibo*, *& in potu*, *aut in parte Diei feſti*, *aut Ncomeniæ*, *aut Sabbatorum*; ſimulque animus Paullo erat, monere Coloſſenſes, ne aliquid facerent cæremonias, titus, obſervationes, jactationeſque Hieraticorum, atque Theurgorum Gentilium; verbis ſtatim explicandis: *Nemo vos ſeducat volens in humilitate & Religione Angelorum*. Homilia in hanc Epiſtolam ſecunda proſequitur Chryſoſtomus: *Nc vero exiſtimarent Chriſtum eſſe recentiorem*, διὰ τὸ πάλαι μὲν δι' Ἀγγέλων προσάγεσθαι, *eo quod olim*

ad-

adducerentur (hoc eſt adduci ſe poſſe , dum Gentiles fuerant , credidiſſent) *per Angelos ; nunc autem per ipſum, oſtendit primum, eos nihil potuiſſe . Quod autem ſit ante ipſos , hoc probat argumento, quod ipſi per eum ſint creati: quamobrem & quæ per Angelos fiunt , ejus ſunt . Cur ergo , inquit , Angelis confiditis ? Tantum enim abeſt , ut illi vos adducant , & acceſſum præbeant ad Deum , ut etiam bellum geſſerint ; & niſi vos Deus ipſe illis reconciliaſſet , pacem non habituri eratis . Quid ergo ad illos accurritis?* Denique Homilia in Epiſtolam hanc quinta : *Non Dæmones , non Angeli , non Archangeli , non aliqua alia ex ſupernis illis Poteſtatibus debet coli ab humana natura* . Ut alia ſimilia hujus Sancti Patris prætereamus : adeo certum eſt, Apoſtolum eo loci , de Theurgia ſermonem habuiſſe .

Sed ad rerum cardinem , ad verba deveniamus ipſa . Scripſit igitur Apoſtolus , pro Vulgatæ noſtræ lectione : *Nemo vos seducat volens in humilitate , & Religione Angelorum* . Verba textus ſunt : Μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν Ἀγγέλων . Impervium eſſe probe exprimere verbum καταβραβευέτω ex multiplici diverſaque Exegetarum interpretatione nemo

nemo dubitaverit. Divus Hieronymus, in Epiſtola ad Algaſiam, poſtquam animadvertit, ut monuimus, univerſum hunc Paulli locum *profundos, & reconditos continere ſenſus*, adeo ut παραφραστικῶς ſolum evolvi poſſe videatur, hiſce allegatum explicare pergit verbum: *Nemo vos ſuperet, ideſt, nemo adverſus vos bravium accipiat; hoc enim græce dicitur* καταβραβευέτω, *quando quis in certamine poſitus, iniquitate Agonothetæ, vel inſidiis Magiſtrorum*, βραβεύων, *& palmam ſibi debitam perdit; multaque ſunt verba, quibus juxta morem Urbis, & Provinciæ ſuæ familiarius Apoſtolus utitur*; quorum adducit exempla Sanctus Pater, inter quæ verbum, quo de agimus, & quo ætate ſua Cilices adhuc utebantur. Divus Johannes Chryſoſtomus Homilia VII. in hanc ad Coloſſenſes Epiſtolam ſcripſit: καταβραβευθῆναι γάρ ἐστιν, ὅταν παρ' ἑτέρῳ μὲν ἡ νίκη, ἢ παρ' ἑτέρῳ δὲ τὸ βραβεῖον, ὅταν ἐπηρεςῇ νικήσας. *Verbum enim* καταβραβευθῆναι *eſt quando aliorum quidem eſt victoria, aliorum vero bravium, ſive præmium; quando victoriam aſſequuto inſultatur*. Heinc inter Exegetas præclariſſimi fuere, qui vocem hanc in ejuſmodi ſenſum interpretari oportere, aptiſſime docuerint: *Nemo dominium uſurpet ſuper vos, ſeque vobis ſuperio-*

rem

rem eſſe credat, *aut veluti præſtantiorem jactet*. Quod dicendi genus cum oſtentationibus Theurgorum adprime conſonaret, qui gloriari ſuperbiſſime conſueverant, apud ſe ſolos veram animi purgandi reperiri rationem & viam, nec non mediantibus Angelis perviam unionis cum Deo conſequendæ facultatem. Quare ſtatim intelligimus, Apoſtolum animos Laodicenſium, & Coloſſenſium erigere verbo illo voluiſſe, ne glorioſis Theurgorum jactationibus fidem darent, aut falſam illam animæ purgandæ liberandæque rationem & viam ipſis inviderent.

Quamvis vero ita acceptum illud verbum rectiſſime adverſus Theurgorum oſtentationes poſitum fuiſſe videatur, fundamentum adhuc non deeſt, quo illud magis ac proprie Theurgicum eſſe intelligamus. Alexander ſiquidem Morus in ſuis *adnotationibus ad quædam ſelecta novi Teſtamenti loca*, verbum ejuſmodi adcuratius in examen ſibi revocandum ſumens, latere in eo ſtatuit eximium acumen, ſatis ab Interpretibus non animadverſum. Contendit igitur, Apoſtolum tali verbo eos notaſſe, qui Angelos βραβευτὰς, mediatores ſcilicet inter Deum & homines conſtituebant, quod ex Heſychio confirmat ſcribente: βραβευέτω, μεσιτευέτω. βραβεύει,

μεσι-

μεσιτεύειν. Paullum propterea καταβραβεύειν uſurpaſſe, quemadmodum alibi κατατομή per deſpectum; aliud vero eſſe παραβραβεύειν quod minime confundendum cum καταβραβεύειν. Brabeuticos autem dici potuiſſe Cultores illos Angelorum, nempe Theurgos, quod non aliter Angelos colerent, quam ut βραβευτάς, *divinas medias Poteſtates*, quemadmodum ex Theurgorum doctrina ajebat Apulejus, *inter mortales, Cælicolaſque, vectores hinc precum, inde donorum*. Eam igitur Apoſtolo fuiſſe rationem conſequitur morus, ut καταβραβευέτω dixerit quaſi μεσιτευέτω, ut Mediatores in Theurgia ipſos rite denotaret. Sic Judæorum Magiſtros bona opera, & reſipiſcentiam appellare ſolitos fuiſſe *hominum Paracletos*, & βραβευτάς. Hac autem feliciſſima ex interpretatione nil aliud revera Paullus dixerit, quam: *Nemo vos a vera Chriſti mediatione ſubtrahere contendens, Theurgicam, proindeque falſam, oſtentet mediationem Angelorum*. Quare vocem jam Theurgicam habemus, & ad doctrinam de Angelorum cultu, & mediatione reſpicientem.

Sequitur in adhortatione Paulli: *Volens in humilitate, & religione Angelorum*. θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν Ἀγγέλων. Vix autem crediderim poſſe quid aptum, apertum, & accomoda-

modatum magis reperiri, quo Paullum de Theurgicis Ethnicorum Myſteriis loquutum hoc fuiſſe in loco intelligamus. Juxta Græcos *volens* refertur ad id, quod ſequitur, ut ſenſus ſit: *affectans humilitatem in religione Angelorum*; quod communibus etiam ab Interpretibus animadverſum. Sed quid proprie ταπεινοφροσύνη; audiamus Tertullianum Libro de Jejuniis ſcribentem: *Sed & omnem* ταπεινοφρόνησιν *Ethnici cognoſcunt. Cum ſtupet Cœlum, & aret annus, nudipedalia denunciantur, Magiſtratus purpuras ponunt, faſces retrovertunt, precem indigitant, hoſtiam inſtaurant. Apud quaſdam vero Colonias præterea annuo ritu ſaccis velati, & cinere conſperſi, Idolis ſuis invidiam ſupplicem objiciunt; balnea & tabernacula in nonam uſque clauduntur. Unus in publico ignis apud aras. Aquæ nec in lancibus. Ninivitìcum credo juſtitium.* Quod Apoſtolus ταπεινοφροσύνην vocat, Tertullianus ταπεινοφρόνησιν dicit, voce, ut omnes norunt, ejuſdem poteſtatis, eodemque ex fonte derivata. Sed audire præſtat, quæ vix antea ſcripſerat Tertullianus, jam in Montaniſtarum gregem cooptatus, quique ex Theurgorum prope diſciplina, iniquior Orthodoxis, circa abſtinentiarum genera, tempus, & modum, ſeverius multo pro-

pronunciabat , quam Sapiens Mater , & Fidelium Gubernatrix Eccleſia , quæ prudenter nolebat illud omnibus præcipere , quod pauciſſimi vix valent divino munere perferre . Ita ille igitur contra Pſychicos , videlicet Catholicos : *Sed rurſus palos terminales figitis Deo , ſicut de gratia , ita & de diſciplina , ſicut de chariſmatibus , ita de ſolemnibus , ut proinde beneficia ceſſaverint , quemadmodum & beneficia ejus . . . . Jam enim & in iſta ſpecie ditati ſaturatique regnatis , non delicta incuſantes , quæ jejuniis elimentur , nec revelationum ſcientia indigentes , quæ Xerophagiis extorqueantur , nec bella propria metuentes , quæ Stationibus diſcutiantur . Ut ab Johanne Paracletus obmutuiſſet , ipſi nobis Prophetæ in hanc maxime cauſam extitiſſemus . Jam non dico ad exorandam Dei iram , nec ad impetrandam tutelam ejus aut gratiam , ſed ad præmuniendam per noſmetipſos noviſſimorum temporum conditionem , indicentes omnem* ταπεινοφρόνησιν ; *cum carcer ediſcendus , ac fames & ſitis exercendæ , & tam ediæ , quam anxii victus tolerantia uſurpanda ſit , ut in carcerem talis introeat Chriſtianus , qualis inde prodiſſet . . . Bene autem quod Epiſcopi univerſæ plebi mandare jejunia aſſolent , non dico de induſtria ſtipium conferen-*

rendarum , ut veſtræ capturæ eſt ; ſed interdum ex aliqua ſollicitudinis Eccleſiaſticæ cauſa . Itaque , ſi & ex hominis Edicto , & in unum omnes ταπεινοφρόνησιν *agitatis , quomodo in nobis ipſam quoque unitatem jejunationum , & Xerophagiarum , & ſtationum denotatis ?* Locus innumeris obſervationibus profecto dignus , ſed unica contenti erimus in præſens , creditum ſcilicet , fame , ſiti , Xerophagiis , & anxii victus tolerantia , cœleſtem tutelam , & Superum viſiones extundi potuiſſe . Omnia igitur , quæ depreſſionis , demiſſionis , & aſperæ ſtatum vitæ, ſenſumque mortificationis apud Ethnicos oſtentabant , ταπεινοφροσύνην conſtituebant , appellabantque hoc ea nomine Gentiles . Heinc Clemens Alexandrinus , Libro , ut vidimus , Stromatum ſuorum III. poſtquam dixiſſet , Theurgos *adoraſſe Angelos , & Dæmones , ſimulque a vino , ab animatis , & a rebus venereis abſtinere ſolitos fuiſſe* , confeſtim ſubdit , eam diſciplinæ rationem fuiſſe illorum ταπεινοφροσύνην . Quare commodum Johannes Potterus , in adnotationibus ad hunc Clementis Alexandrini locum , monet , Sanctum Patrem tunc reſpexiſſe , ac veluti enarraſſe verba Paulli , quæ illuſtramus : *Nemo vos ſeducat volens* ἐν ταπεινοφροσύνῃ , *in humilitate*

& re-

& religione Angelorum . . . . quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione & humilitate ταπεινοφροσύνῃ, *& non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis.* Sed & Cyrillus Hyeroſolimitanus Catecheſi IV. adverſus Hæreticos præſertim Manichæos ſcribebat: μὴ πρόσεχε αὐτῶν τῇ χρηστολογίᾳ, μηδὲ τῇ νομιζομένῃ ταπεινοφροσύνῃ. *Eorum blandiloquentiæ, fictæque dejectioni, & ad oſtentationem compoſitæ, ne attendas*. Erat igitur ταπεινοφροσύνη diſciplina quædam abjectionis, humilitatis, modeſtiæ, caſtigatiſſimæque abſtinentiæ, a Theurgis, ſive ab illis qui in Theurgia ſe initiari patiebantur, uſurpata; ſimulatus quidam erat dejectæ mortificationis & puritatis ſtatus, quo ſe ſe Myſteriorum Theurgorum Aſſeclæ ad videndos Angelos aptabant: quare dixerit Apoſtolus: nemo ſe vobis præſtare imaginetur ſimulato illo ſenſuum mortificationis, & depreſſionis, abſtinentiæque a venere, vino, & animatis exercitio, quo animum purgare fingit ſuum, ut mediantibus Angelis ad unionem Deificam pertingat.

Proſequitur Paullus: *Quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ*. In textu: ἃ μὴ ἑώρακεν, ἐμβατεύων, εἰκῇ φυσιούμενος ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτοῦ,

laudatus Alexander Morus legendum ſuſpicatur, ἃ μὴ ἑώρα κενεμβατεύων, quem æque probat legendi modum Millius in Prolegomenis ad Novum Teſtamentum Editionis Kuſteri: vel ab Apoſtolo uſurpatum ἐμβατεύων ἀχῇ pro κενεμβατεύων, quæ vox eorum erat propria, qui in Theurgicis Angelorum Myſteriis verſabantur. Id enim confirmat Morus ex nonnullis Damaſci, Platonici recentioris, Theurgiæ Vindicis, teſtimoniis, in Libro inſcripto: Ἀπορίαι, καὶ λύσεις περὶ τῶν πρώτων ἀρχῶν; in quo nempe de purgatione, & liberatione animæ agebatur, quare technicam iterum ac Theurgicam vocem Apoſtolus uſurpaſſe videatur. Sed & verbum ἐμβατεύων *ambulans* reſpicere videtur *viam*, hoc eſt ritualem ac cæremonialem animæ liberandæ, purgandæque, & uniendæ cum Deo rationem; ita enim Theurgi quoque loquebantur; nam Abammon Sacerdos apud Jamblichum *de Myſteriis*, Sectione VIII. Cap. 5. *Mercurius* ταύτην τὴν ὁδὸν *hanc ad ſuperiora viam tradidit*. Hinc Auguſtinus, Theurgiam oppugnans, Theurgicos averſari noluit ſcribendi, exprimendique modos, inquiens, quemadmodum retulimus: *Nondum, juxta Porphyrium, receptam unam quamdam Sectam, quæ univerſa-*

lem

lem viam animæ contineat liberandæ . . . . Ab Indorum moribus ac diſciplina , aut inductione Chaldæorum , aut alia qualibet animæ liberandæ via . . . . Quam vult ergo intelligi animæ liberandæ univerſalem viam . Apoſtolus iterum hac uſus eſt phraſi ad Ethnicorum Religionem ac diſciplinam denotandam , ad Epheſios IV. ſcribens : *ut jam non ambuletis ſicut Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui* . Divus Hieronymus, Eraſmus , & Millius , ἐμβατεύων non ſimpliciter ambulans , ſed *cum faſtu & ſupercilio incedens* ſignificare contendunt, quod nemini magis, quam Theurgicis artibus addicto accommodari poteſt; proptereaque Apoſtoli verba : *quæ non vidit ambulans , fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ* , illum exprimere videntur , de quo Salomon : *Eſt qui nequiter ſe humiliat , interiora autem ejus plena ſunt dolo* . Quærebant nempe in humilitate Theurgi ſuperbiam , ac tumentiores animos ex ipſa dejectione & ſtatu ſordido capiebant ; quia videlicet , Theurgicos per ritus , per myſticas operationes , ac viſiones Angelorum uniri ſe ſe cum Diis ſomniabant ; quod egregie expreſſit allegato Confeſſionum ſuarum loco Auguſtinus, ubi ſcripſit : *Quem invenirem , qui me reconciliaret tibi ? Ambiendum mihi fuit ad Angelos ?*

Multi conantes ad te redire, neque per ſeipſos valentes, tentaverunt hæc, & inciderunt in deſiderium curioſarum viſionum, & digni habiti ſunt illuſionibus. Elati enim te quærebant &c. Sed quam recte de Theurgis dicta ea ſunt: *quæ non vidit ambulans!* Sic enim Minucius Felix in Octavio de his, qui ejuſmodi Angelorum præſtigiis addicti erant, ſcribebat: *Vel quæ non ſunt videri, vel quæ ſunt non videri.* Sic Auguſtinus loco jam adducto: *Qui has purgationes operantur, quaſdam mirabiliter pulchras vel Angelorum imagines, vel Deorum, tamquam purgato ſpiritu vident, ſi tamen vel tale aliquid vident.* Cardanus etiam de Eclecticis, ſive Platonicis Philoſophis, qui Theurgiæ patrocinium ſuſcepere, Libro habet XIX. de Subtilitate: *Porphyrius, Pſellus, Plotinus, Proclus, Jamblichus, copioſe de his, quæ non videre, velut hiſtoriam rei natæ ſcripſerunt.* Sic in limine Satyrici olim ſui Petronius: *Fabritius Vejento de Religionis erroribus jam nunc ingenioſe locutus eſt, & detexit quo doloſo vaticinandi furore Sacerdotes Myſteria illis ſæpe ignota, audacter publicant.* Denique Horatius Libro II. Epiſtola 2.

Jam

Jam ſaliare Numæ carmen qui laudat, & illud
Quod mecum ignorat, ſolus vult ſcire Sacerdos.

Et Antonius Fuſſalenſis Carmine adverſus gentes :

Quid Loquar & Veſtam, quam ſe negat ipſe ſacerdos
Scire quid eſt?

Cauſſam vero adfert Paullus, quare nullius eſſet utilitatis Theurgica illa animæ purgandæ liberandæque ratio, & via, ſubdens: *Et non tenens Caput, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones ſubminiſtratum & conſtructum, creſcit in augmentum Dei*. Quibus verbis utique oſtendit, Ethnicis ſe tunc agere de hominibus, & in idololatrica ſuperſtitione verſantibus, Chriſtumque, tamquam ſalutis Principium, verumque & unicum Mediatorem non agnoſcentibus; id ſiquidem ex parallelis inferri valet Apoſtoli ejuſdem locis. Nam ad Epheſios I. de Salvatore noſtro ſcripſerat: *Ipſum dedit Caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ejus*. Et Capite IV. *Veritatem autem facientes in Charitate, creſcamus in illo per omnia,*

nia, qui eſt Caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis ſecundum operationem inmenſuram cujuſcumque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in Charitate. Capite II. de Fidelibus jam ſcripſerat: *Eſtis Cives Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in Templum ſanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu*. Petrus Apoſtolus Epiſtola I. Cap. 2. ita Chriſtianos alloquebatur: *Et ipſi tamquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, Sacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum*. Phraſi igitur, *& non tenens Caput* ille ſignificatus eſt, qui Chriſto tamquam Capiti non adhærebat, ſed ob præpoſteram Angelorum mediationem, ab ipſo erat alienus; quod vehementer confirmant illa Divi Auguſtini ex Libro X de Civitate Dei Cap. 24. *Sed ſubditus Porphyrius invidis Poteſtatibus, noluit intelligere Dominum Jeſum Chriſtum eſſe Principium, cujus Incarnatione purgamur. Eum quippe in ipſa carne contempſit, quam*

prop-

propter Sacrificium noſtræ purgationis aſſumpſit. Hunc non cognovit eſſe Principium, nam agnoſceret purgatorium. Rurſus Cap. 27. ejuſdem Libri: *Hoc tibi immundiſſimi Dæmones, Deos æthereos ſe eſſe fingentes, promiſerunt: quod in anima ſpirituali, Theurgica arte purgati, ad Patrem quidem non redeunt, ſed per aereas plagas inter Deos æthereos habitabunt. Non audit iſta hominum multitudo, propter quos a Dæmonum dominatu liberandos Chriſtus advenit. In illo enim habent miſericordioſiſſimam purgationem & mentis, & Spiritus, & corporis ſui.* Capite demum 28. *Dicis homines purgari per ſolum* πατρικὸν νῦν, *ideſt Paternam Mentem, ſive Intellectum, qui paternæ eſt voluntatis conſcius. Hunc autem Chriſtum eſſe non credis.* Auguſtini antitheſim quis antitheſi Apoſtoli ſimillimam eſſe non videt? Ubi ſiquidem de cultu & Religione Angelorum, quorum cæremoniis & mediatione liberatio animæ promittebatur, agit Sanctus Pater, Angelis opponit Chriſtum, unicum & verum Mediatorem, & Liberatorem. Ita & Apoſtolus a Chriſto ſolum, tamquam a Capite, & a Principio haberi poſſe divinum ſubdit incrementum, *per quem & habemus acceſſum in Spe gloriæ filiorum Dei*, quemadmo-

dum dixerat ad Romanos V. & rurſus ad Epheſios III. *Quoniam per ipſum habemus acceſſum in Spiritu ad Patrem*: quibus omnibus adluſum ad ſacram illam, ut inquiebant Theurgi, *Anagogen*, ad aſcenſum nempe animæ ad Deum, qui totius Theurgiæ finis habebatur.

Proſequitur Apoſtolus: *Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab Elementis hujus mundi, quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis?* Prope omnes arbitrati ſunt, mortuum eſſe ab Elementis hujus mundi, eum ſignificare perfectionis & virtutis ſtatum, quo Chriſtiani illis amplius non egerent cæremoniis, quæ Judaicæ olim Genti erant communes cum mundo, Sacrificiis ſcilicet expiationibus, luſtrationibus &c. quare Paulli ſententia cum Nicephori Gregoræ ſenſu conveniret, Scholiis in Librum Syneſii *de Inſomniis*, ita diſſerentis: *Apud Gentiles quidem, Syneſius imaginationem expiari aſſerit Myſteriorum, & cæremoniarum beneficio: at piæ Religioſæque noſtræ Eccleſiæ homines eam luſtrant modeſtia, temperantia, vigilantia & jejunio*. παρὰ μὲν Ἕλλησι καθαίρεσθαι τὴν φαντασίαν διὰ Τελετῶν, κ. τ. λ. Verum, etiamſi certiſſimum ſit, Chriſtianos non indiguiſſe Judæorum cæremoniis, ejuſmodi interpretatio tamen abſolute accepta,

cepta, & latius exſtenſa, ad Spencerianam videretur accedere hypotheſim, proindeque haud vera foret; quum perfectiſſimis etiam ætatis Apoſtolicæ Chriſtianis ſuæ futuræ fuiſſent neceſſariæ cæremoniæ, ſacrique ritus, Sacramenta, Sacrificium. Eſſe igitur mortuum ab Elementis hujus mundi, hoc in loco ſignificare arbitramur, ſolutum eſſe a cultu, & ſervitute Angelorum, qui phraſi ſive Theurgica, ſive Elleniſtica, *Elementa mundi* appellabantur, quemadmodum eruimus ex antiquiſſimo Elleniſtico Scriptore, qui *Teſtamentum Salomonis* concinnavit. Edidit Opuſculum ejuſmodi, poſt Gilbertum Gaulminum Johannes Albertus Fabricius in Codice Pſeudepigrapho Veteris Teſtamenti, allegavitque Thomas Galæus Annotationibus in Jamblichum Sectione II. Cap. 3. Inducitur ibi Salomon Angelos admiratus, eoſque interrogans: τίνες ἐστέ; *quinam eſtis? atque illi unanimiter reſponderunt: Nos ſumus Elementa, & Principes hujus mundi*. οἱ δὲ ὁμοθυμαδὸν ἔφησαν μιᾷ φωνῇ καὶ εἶπον. ἡμεῖς ἐσμὲν τὰ λεγόμενα στοιχεῖα, οἱ κοσμοκράτορες τοῦ κόσμου τούτου. Apocryphum quidem Auctorem illum eſſe minime ignoramus; ut laudatus Fabricius tamen, in Præfatione ad opus allegatum recte animadvertit, quis ignorat, in his, ſub

ſub falſis licet jactentur nominibus, ſtricturas non modo eſſe ex veteri Judæorum traditione derivatas, ſed plurima etiam ad phraſes Scriptorum Novi Teſtamenti intelligendas opportuna? Neque ſane mirum Angelos *Elementa Mundi* fuiſſe appellatos; nam, ut innuimus, Theurgi apud Jamblichum *de Myſteriis* Sectione II. Cap. 3. de variis Angelorum apparitionibus differentes pro varietate Ordinum in quos eos diſtinctos præconcipiebant, poſtquam de Angelis, & Archangelis ſtatuiſſent, ad Archontas, ſive Principes enarrandos deſcendebant, quos & *Mundi Rectores* appellabant, *quique ſublunaria Elementa gubernare* credebantur, οἱ κοσμοκράτορες, οἱ τὰ ὑπὸ σελήνην στοιχεῖα διοικοῦντες. Ex quo autem Elementa Mundi gubernarent, eo facilius poterant eo nomine donari, quo ſimile quid aliis in Novi Teſtamenti locis contigiſſe reperimus. Actorum ſiquidem VII. illuſtria Stephani habentur ex Amoſo Propheta verba: *& ſuſcepiſtis tabernaculum Moloch, &* ἄστρον *ſidus Dei veſtri Rempham, figuras, quas feciſtis, adorare eas*. Quæ explicans Johannes Clericus, ibi agi oſtendit Ægyptio de Rege, apotheoſi conſecrato, & relato inter ſtellas, quare imago ipſius a Stephano ἄστρον dicta fuerit, *ſidus*, *& ſtellatæ imagines* apud

Pro-

Prophetam allegatum. Si igitur nomine ſideris denotatus eſt Rex Ægyptius, propterea quod crederetur fuiſſe poſt fatum inter ſidera relatus, cur Elementorum Mundi nomine vocari non potuerint Angeli illi, qui Elementa moderari credebantur, & Mundi Principes, opinione Gentilium erant? Sed ita fortaſſe Angeli appellati ſunt, quod ex Elementis eos conditos eſſe nonnulli Ethnicorum crederent; nam Johannes Albertus Fabricius in Syllabo Scriptorum, qui religionem Chriſtianam vindicavere Cap. 3. inter deperdita Diodori, ſive Theodori Tarſenſis Epiſcopi, Librum ex Suida, memorat, in quo tuebatur ὅτι αἱ ἀόρατοι φύσεις οὐκ ἐκ τῶν στοιχείων ἀλλ' ἐκ μηδενὸς μετὰ τῶν στοιχείων ἐδημιουργήθησαν. *Naturas inviſibiles, non ex Elementis, ſed una cum Elementis ex nihilo factas eſſe.* Quid quod, Epiſtola ad me data, mouuit humaniſſime Cl. Mamachius, aerios ſpiritus, quos *Folletti* in Italia dicimus, ab hodiernis Græcis τὰ στοιχεῖα, hoc eſt, *Elementa* appellari, & οἴκους στοιχειωμένους domos ab *Elementis* illis, ſive Spiritibus infeſtari creditas? Quam dicendi rationem ab antiquis Græcis in recentiores derivatam eſſe, non dubitare ſe ſubdidit idem Theologus Caſanatenſis. Mortuum igitur eſſe Elementis hujus Mundi, idem erat apud Paullum

lum atque nullum amplius habere commercium cum Angelis illis qui credebantur præeſſe Mundi Elementis, neque illis amplius ſubjectum eſſe, quemadmodum frequens apud Paullum mortuum eſſe peccato, ſignificabat, non amplius ſubjectum peccato eſſe; de quo ſtatu quum dixiſſet Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos Cap. 8. ſtatim addidit: *Quis ergo nos ſeparabit a charitate Chriſti? Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque Fortitudo, neque Altitudo, neque profundum, neque Creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto J. ſu Domino noſtro*. Hanc liberationem ab humili ſervitute, cultu, & mediatione Angelorum conſequuti erant Chriſtiani vi Baptiſmatis, Legiſque & perfectionis Evangelicæ; proptereaque ſenſus Paulli erat: quum per Baptiſmum juſtificati ſitis, Sanctificatique, ſecundum Dei Spiritum vivatis, ideoque non Angelis indigeatis, non Archangelis, non Principibus mundi Rectoribus, non Dominationibus &c. neque eorum mediatione, qua purgemini, & liberemini a peccato, *quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis?* In textu δογματίζεσθε, doceri,

ri, inſinuari, jactari apud vos ab Angelorum Cultoribus permittitis: *Ne tetigeritis, neque guſtaveritis, neque contrectaveritis?* Textus proprie μὴ ἅψῃ, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς. Hæc per imitationem eorum, quæ Coloſſenſibus dicebantur ab iis, qui eos ſeducere pertentabant, conſcripta ab Apoſtolo fuiſſe, Interpretes docent univerſi. Verius præcepta videntur ab Angelis data iis, qui initiari in Theurgicis Myſteriis cupiebant, quod tradit ac docet obſcuriſſima illa quidem ſua, ſed interiori & recondita æque ſapientia Tertullianus, Libro contra Marcionem V. Cap. 19. ubi iis explicatis, quæ Apoſtolus antea ſcripſerat: *Nemo vos judicet in cibo, & potu, & parte diei feſti, & Sabbati*, tamquam iis, quæ neque malam fuiſſe Moyſis Legem inferri ſinerent, neque Marcionis errorem confirmarent, ita denique proſequitur: *Si autem & aliquos taxat, qui ex viſionibus Angelicis dicebant cibis abſtinendum, ne tetigeris, ne guſtaveris, volentes in humilitate ſenſus incedere, non tenentes Caput; non ideo Legem, & Moyſen pulſat, quaſi ex Angelica ſuperſtitione conſtituerit interdictionem quorumdam edulium. Moyſen etiam a Deo accepiſſe Legem conſtat. Denique hanc diſciplinam ſecundum præcepta*, inquit, *&*

do-

doctrinam hominum deputavit in eos, *qui Caput non tenerent*, *ideſt*, *ipſum*, *in quo omnia recenſentur*, *in Chriſtum*, *ad initium revocata etiam indifferentia eſcarum*. Quam aptum, illuſtre, & egregium ſit hoc Tertulliani teſtimonium explicari ſatis non poteſt. Intelligimus quippe, eos, qui diſciplinam de non attigendo, guſtando, contrectando urgebant, eam non a Lege Moſaica, ſed *ab Angelicis Viſionibus* accepiſſe: hoc pacto homines ejuſmodi in humilitate ſenſus incedere voluiſſe, ſed Chriſtum omnium Caput, ſolum mediatorem, & purgationis Principium non tenentes, fuiſſe propterea ab Apoſtolo notatos. Nonne univerſa hæc vero Theurgis proprie ac prorſus conveniebant? Immo quibuſnam aliis aptari poterant, quam Theurgis? Præſertim ſi tum Paulli, tum etiam Tertulliani verba cum ſomniis jam jam initiandi Apuleji conferantur, cui quum Iſis apparuiſſet, dixiſſe fingitur: *Quod ſi ſedulis obſequiis*, *& religioſis miniſteriis*, *& tenacibus caſtimoniis*, *Numen noſtrum promerueris &c.* tum & pro Oſiridis præſcripto, per quietem pariter viſo, ſubdebat initiandus Apulejus: *Sacerdoti meo relatis*, *quæ videram*, *inanimæ prorſus caſtimoniæ jugum ſubeo*. Habemus & heic expreſſam illorum

rum diſciplinam, qui ignorantes Chriſtum, Angelos tamquam Mediatores adorabant, habemus Theurgicas Dæmonum, ſub Deorum formis, viſiones, præcipientium ſeveriſſimam Initiatis abſtinentiam.

Sed quodnam obſecro abſtinentiæ genus? quidque ſibi poſtulat triplex illa interdictio: *ne tetigeris, neque guſtaveris, neque contrectaveris?* Id quoque recte & probe ex ſola intelligi poteſt Theurgorum diſciplina. Jam enim docuit nos Clemens Alexandrinus, Cultores Angelorum abſtinere debuiſſe *a Venere, vino, & animatis*, οἴνε τε ὁμε, καὶ ἐμψύχων, καὶ ἀφροδισίων ἀπέχεσαι. Apulejus æque *caſtimoniorum abſtinentiam ſatis arduam* memorat, quo ad initiationem accederet, ſibique in ſomnio præceptum, *decem illis continuis diebus cibariam voluptatem coerceret, neque ullum animal ederet, & invinius eſſet; quibus venerabili continentia ſervatis &c.* Ea igitur Dæmonum, ac Theurgorum præcepta rite Apoſtolus expreſſit, ubi per mimeſim ſcripſit: *ne tetigeris, neque guſtaveris, neque contrectaveris.* μὴ ἅψῃ, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς. Quærit enim Thomas Gatakerus, in Diſſertatione de Stylo novi Teſtamenti Cap. XI. de poteſtate verbi ἅπτεσθαι, oſtenditque, tum Biblica, tum Ethni-

ca

ca etiam phraſi, denotare acceſſum ad uxorem. Geneſeos quippe XX. Ἀβιμελὲχ δὲ οὐκ ἥψατο αὐτῆς. *Abimelech vero non tetigerat eam*. Proverbiorum VI. *Non futurus eſt inſons* πᾶς ὁ ἁπτόμενος *quiſquis attigerit uxorem alienam*. Paullus ipſe I. ad Corinthios 7. *Bonum eſt homini mulierem non tangere*. καλὸν ἀνθρώπῳ γυναικὸς μὴ ἅπτεσθαι, quem in ſenſum hoc utuntur verbo Ariſtoteles, Xenophon, Epictetus, Plutarchus, Clemens Alexandrinus, aliique plurimi a Gatakero allegati. Quemadmodum vero τὸ ἅπτεσθαι, ita etiam τὸ θιγεῖν, quod illi eſt συνώνυμον, rei amatoriæ, & uxoriæ ſignificandæ paſſim a Græcis uſurpatum, ſexcentis evincit idem Auctor teſtimoniis, qui Capite ejuſdem Operis 40. γεύσασθαι *guſtare* pro cibum ſumere, & comedere acceptum Sacris in Litteris, & a profanis Scriptoribus oſtendit; proptereaque palam eſt, Apoſtolum heic recenſuiſſe Theurgica præcepta, quibus prohibebantur Initiandi, ne uxoriæ rei operam darent, neve animatos deguſtarent cibos, jubebanturque ut, a vino abſtinentes, ſe ſe Teletæ compararent; ea ſiquidem omnia εἰς φθορὰν *in interitum ipſo uſu, ſecundum præcepta & doctrinas hominum*, ideſt Theurgorum, *erant*, ſubdit Apoſtolus; ita enim de eiſdem loquebantur Hæretici illi, qui

tot

tot tantaque, ut diximus, ab Ethnicorum formulis & cultu in ſuas errorum complexiones derivaverant. De Tatiano quippe ſcribit Ireneus Libro I. Cap. 31. *Nuptias autem* φθορὰν *corruptelam & fornicationem, ſimiliter, ut Marcion, & Saturninus appellat*. Idem de illo Hæretico Epiphanius, Hæreſi XL. *Nuptias adulterium eſſe merum*, καὶ φθορὰν *& corruptelam exiſtimat*. Clemens Alexandrinus, Libro Stromatum III. *Non enim, ut quidam explicarunt, per mulieris ad virum obligationem* τῆς σαρκὸς πρὸς τὴν φθορὰν ἐπιπλοκὴν *carnis cum corruptela conjunctionem ſignificari putandum eſt*. Apulejus mox initiandus de ſeipſo: *Nec ſecus quam Cultores cæteri cibis profanis, & nefariis jam tunc temperarem, quo rectius ad arcana puriſſimæ Religionis Secreta pervaderem*. Immo pro interiore & arcaniore Theurgorum Theologia omne corpus fugiendum erat, ut anima poſſet permanere beata cum Deo.

De ejuſmodi autem diſciplina ita Paullus: *Quæ ſunt rationem quidem habentia Sapientiæ, in ſuperſtitione, & humilitate*, ἐν ἐθελοθρησκείᾳ καὶ ταπεινοφροσύνῃ, *& non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis*. Quæ

T vide-

videlicet ſeveriſſima abſtinentiarum genera maximi momenti ab eo habebantur, qui

Infelix putat illuvie Cœleſtia paſci ,
Seque premit ſævis ſævior ipſe Deis .

Siquidem ea dirigebant Theurgi ad Angelorum cultum , & ad conciliandam ſibi eorum mediationem , quo purgaretur anima , & cum Diis uniretur . Ea , inquam , abſtinentiarum genera infinitum Hieratici faciebant, non modo quod conjuncta ea eſſe jactarent cum ſingulari modeſtiæ , humilitatis , & dejectionis adparatu ; verum etiam propterea quod eo auſteritatis , rigoris , & obſervantiæ perveniſſent, ut ne corpori quidem ſuo parcerent , & ſævientem libidinem neque legitimis cum Uxoribus exſtinguerent . Hoc poſtremum ſcilicet, οὐκ ἐν τιμῇ τινι πρὸς πλησμονὴν σαρκὸς *non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis*, explicari oportere crederem ex ſimillima Apoſtoli ejuſdem phraſi , I. ad Theſſalonicenſes 4. εἰδέναι ἕκαστον ὑμῶν τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος κτᾶσθαι ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ. *Ut ſciat unuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore , non in paſſione deſiderii , ſicut & Gentes, quæ ignorant Deum* . Ejuſmodi Theurgorum in-

inſtituta fatebatur Apoſtolus ſpeciem nonnullam habuiſſe ſapientiæ, quod cultum voluntarium, animi ſubmiſſionem, denique neglectum corporis, & eorum, quæ ad corpus ſpectant, contemptum docerent; re tamen vera nullius cenſenda eſſe pretii, quia ab aliquibus eum uſurpata in finem, ut, neglecta vera Chriſti mediatione, falſam quæritarent ſibi mediationem Angelorum.

Sed fuere Interpretes, quorum menti licet hoc loco Theurgi non ſuccurrerint, ſeſe tamen Ethnicorum ſuperſtitioſiores objecere. Nam, ut prætereamus Primaſium, Uticenſem in Africa Epiſcopum, qui ſuo in hunc locum Commentario plures fuiſſe memorat, qui eum de ſuperſtitioſis Ethnicorum abſtinentiis accipiendum eſſe ſtatuerunt, Claudius Guilliaudus, *Collectione in omnes Divi Pauli Epiſtolas*, allegatum enarrans locum, & animadvertens verba: *ad non parcendum corpori* interpretari ab Ambroſio, *ad vexationem corporis*, ſubdit, Apoſtolum tunc dixiſſe de illis, qui ſuperſtitionis ergo impotenter lacerabant corpus ſuum, macerabantque immodicis jejuniis, ac prope conficiebant, quales erant *flagellatores*, ſive qui Deorum in honorem ſe ſe ſponte flagellabant, quos commemorabat

Apulejus in ſuo *Aſino aureo*. Ambroſius Catharinus quoque, ſuo in hunc Pauli locum commentario, *forte Brachmanarum, & Pythagoræorum ſectas* ab Apoſtolo heic notatas ſcribit. *Vulgus enim*, ut proſequitur, *admirari eos ſolet, a quibus non parcitur Corpori, ſed revera vita affligitur. Unde & Idololatræ Sacerdotes cultris, & lanceolis incidebant carnes ſuas, & perfundebantur ſanguine, ut legitur in Libro Regum*. Verum abſtinere nullo modo poſſumus a repetitione verborum Arnobii: *Neque illud obrepat, aut ſpe vobis aeria blandiatur, quod a Sciolis nonnullis, & plurimum ſibi arrogantibus dicitur: Deo eſſe ſe gnatos, nec fati obnoxios legibus: ſi vitam reſtrictius egerint, aulam ſibi ejus patere, ac poſt hominis functionem, prohibente ſe nullo, tamquam in ſedem referri patritam: neque quod Magi ſpondent, commendatitias habere ſe preces, quibus emollitæ neſcio quæ poteſtates vias faciles præbeant ad cœlum contendentibus ſubvolare. Blandimenta hæc caſſa ſunt, & inanium fomenta votorum. Magi licet cunctas emolliant, & commulceant Poteſtates, niſi a Domino datum fuerit animis id quod ratio poſtulat, idque per mandatum, multum poſtea pœnitebit fuiſſe irriſui,*

cum

cum ad ſenſum cœperit interitionis accedi. Quibus, etiamſi ut Arnobium decebat, Rhetorice potius, quam aut Theologice, aut Theurgice expreſſis, nil aptius aut evidentius deſiderari poteſt, quod, tum Paulli teſtimonium, tum interpretationem etiam noſtram illuſtrare valeat, & confirmare.

Occurrit heic vero animadverſio, quæ dum interpretationem noſtram fulcit, non minimam ex Theurgia lucem difficillimo Paulli loco adfert. Loquor de ipſius verbis I. ad Corinthios XI. *Ideo debet Mulier poteſtatem habere ſupra Caput, propter Angelos*. ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ κεφαλῆς διὰ τοὺς Ἀγγέλους. Norunt ſacrarum Litterarum Studioſi quantam Interpretibus fixerint crucem duo illa ἐξουσίαν, & διὰ τοὺς Ἀγγέλους, innumeris propterea explicata modis, quos omnes collegit Vinclerus *Parte I. Animadverſionum ad varia ſacri Codicis loca, num.* 1. Adeo tamen ut, copia difficultatum preſſus undique, rem intactam relinquendam eſſe duxerit, quemadmodum prudentiores Exegetæ præſtitere. Si tamen ad Theurgicam confugimus diſciplinam, eamque Paullum reſpexiſſe cogitamus, quanta, & qualis lux! Jam enim quænam obſecro neceſſitas metaphorice interpretandi nomen *poteſtatis*, ſi ex Parallelo

 Apo-

Apoſtoli loco nativus, & litteralis ipſius ſenſus pateat? Nempe eadem in Epiſtola, Cap. 7. ita ſcribebat Paullus: *Uxori vir debitum reddat, ſimiliter autem Uxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet* οὐκ ἐξουσιάζει, *ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet* οὐκ ἐξουσιάζει, *ſed mulier*. Utrobique eadem vox & latine & græce. Capite XI. totus eſt Apoſtolus, ut doceat virum eſſe caput uxoris, & habere poteſtatem ſuper illam tamquam Caput. *Etenim*, ſcribit, *non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum*; & confeſtim addit: *Ideo debet mulier poteſtatem habere ſupra caput propter Angelos. Verumtamen neque vir ſine muliere, neque mulier ſine viro in Domino*. Niſi de conjugalibus officiis heic certe non loquitur Apoſtolus. Tunc vero ſtatim aperitur, quid illud ſibi velit, *propter Angelos*. Nempe, tunc conſtituit Apoſtolus, omnem eſſe viro poteſtatem ſuper uxorem, cui non alia competit ſuper virum poteſtas, quam quæ eſt ſuper ejus corpus, ut debitum repetere ab eo poſſit; adeo ut nullus Angelus, nullus Angelicus cultus debeat ac poſſit virum ab uxore abſtrahere. Quum enim noſſet Paullus, Angelos deſertores ac malos infenſiſſimo actos hu-

humanæ generationis odio inſidiari Connubiis, inſidiari Conjugibus, inſidiari conjugali Pudicitiæ, quo humanam Sobolem, in deperdita ab ipſis loca ſufficiendam, antequam exoriretur veluti exſtinguerent; quumque, ut cum Auguſtino animadvertimus, tanta ſit vis probitatis atque caſtitatis, ut omnis, vel prope omnis, ejus laude moveatur humana natura, nec uſque adeo ſit turpitudine vitioſa, ut totum amittat ſenſum honeſtatis; heinc, puritatis ſpecie, animæque purgandæ per diſciplinam Theurgicam obtentu, eos a conjugalibus officiis avertere Dæmones ſatagerent, quos impudicis machinationibus ſeducere numquam potuiſſent: hæc, inquam, quum Paullus intelligeret, propterea poteſtatem eſſe dixit Mulieri in Caput ſuum, nempe in virum, ſive in Corpus viri, quo contra Angelicas, ſive Dæmonum inſidias procreandæ ſobolis munere fungatur. Sane, ut ſimpliciſſima eſt iſta interpretatio, ita magis cum ſcopo Apoſtoli, & loci exigentia, cum antecedentibus, & iis quæ ſequuntur, cum parallelis demum locis videtur convenire. Ita accepta vero Paulli verba quicquid hucuſque Theurgorum de diſciplina, & abſtinentiis diximus, vehementiſſime confirmant; quemad-

modum & illa Petri, Epiſtola I. Cap. 3. *Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem*, ἀπονέμοντες τὴν τιμήν; quæ non aliam habent ſignificationem, quam allegata Paulli: *Neque vir ſine muliere, neque mulier ſine viro, in Domino*. Quare & ea ejuſdem Apoſtoli: *Neque in honore aliquo ad ſaturitatem carnis*, probe a nobis explicata fuiſſe videantur.

Porro nec infauſtis avibus, aut invita ut dicitur Minerva, interpretationem noſtram fuiſſe excogitatam erui arbitramur poſſe ex omnino literalibus, atque ex antiquiſſimis verſionibus, quæ Paulli verba & ſenſum ita efferunt, ut ſimul conjunctæ opinionem & Exegeſim demum noſtram confirmare videantur. Ita quippe Arias Montanus in interlineari ſua græci Textus verſione: *Nemo vos ſeducat volens in humilitate & Religione Angelorum, qua non vidit incedens fruſtra inflatus a ſenſu carnis ſuæ, & non tenens Caput, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones ſubminiſtratum & conſtructum augeſcit augmentum Dei. Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, quid tamquam viventes in mundo dogmatizamini? Ne tetigeris, ne guſtaveris, ne contrectaveris: quæ ſunt om-*

nia

nia in corruptionem uſu , ſecundum præcepta & doctrinas hominum . Quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in voluntario cultu , & ſubmiſſione animi , & ſubductione corporis , non in honore aliquo ad perplexionem carnis . Verſio latina novi Teſtamenti Syriaci , cura & ſtudio Johannis Leuſden , & Caroli Schaaf , adornata , ita habet: *Et ne quis velit per humilitatem mentis vos adſtringere ut ſerviatis cultui Angelorum , nixus re quam non vidit , & in vanum ſuperbiens ſenſu carnis ſuæ . Et non tenens Caput , ex quo totum corpus componitur , & conſtituitur per commiſſuras & per membra , & creſcit augmento Dei . Si enim mortui fuiſtis cum Chriſto ab Elementis mundi , cur , ac ſi viveretis in mundo , judicamini ? Ne tetigeris , neque guſtaveris , neque adhæſeris ? quæ ſunt uſus corruptibilis , & mandata ſunt , & doctrinæ hominum ; & videntur quod ſit in illis ratio ſapientiæ in ſpecie humilitatis , & timoris Dei , & quod non parcant corpori , non ob rem , quæ ſit pretioſa , ſed propter ea , quæ uſus ſunt carnis .* Arabica interpretatio , apud Valtonum , hac utitur phraſi : ***Ob communionem autem corporis Chriſti nemo vos damnet , volens prætextu humilitatis , & Religionis Angelorum , in res***

pene-

penetrare, quas non vidit, fruſtra ſuperbiens ob judicium carnis ſuæ: neque tenens Caput, ex quo totum corpus per inſtrumenta tactus, perque nervos connectentes (derivante ex eo influentia, & in ipſum corpus ordine diſtributa) augeſcit augmento, quod competit Deo. Si mortui jam eſtis cum Chriſto ab Elementis mundi, cur igitur ac ſi viveretis in mundo hucuſque dogmata ejus tenetis? Ne tetigeris, ne guſtaveris, ne acceſſeris. Ad res, quæ redeunt omnes ad corruptionem dum utimur eis, conſentaneas mandatis doctrinæque hominum, in quibus eſt ſermo ſapientiæ, per voluntariam ſubmiſſionem, & humilitatem, atque neglectum parcendi corpori, non per honorem aliquem Creatori exhibitum pro expletione carnis. Verſio demum Æthiopica, apud eumdem Valtonum: *Et nemo inſipientes vos reputet propter corpus Chriſti, volens in blanditiis Religionis Angelorum, ut pulchrum ſit Caput ejus, aut inflatus carne cordis ejus: & non firmat Caput ſuum, in quo requieſcit totum corpus, & fundatur quodque membrum, & creſcit, & confirmatur, & abundat, & impletur per Deum. Et ſi mortui fuiſtis cum Chriſto a negotio hujus mundi, quomodo iterum, ut vivi in mundo operamini? Neque tetigeris, neque palpa-*

palpaveris, *neque guſtaveris* : *Hoc in interitum ſecundum præceptum hominum*, *quod reputant ſapientiam* . Vides adoratores Angelorum ſubduxiſſe corpus ſuum ab uxoribus, illis non adhæſiſſe, ad eas non acceſſiſſe, nec tetigiſſe quidem. Vides eoſdem, Theurgica inflatos ſuperbia, cæteros homines deſpexiſſe, ac tamquam profanos habuiſſe, quod vino, carnibus, & uxore uterentur; totamque collocaſſe in Theurgicis illis abſtinentiis fiduciam.

Qui hucuſque explicato Paulli teſtimonio abuſi ſunt ſpontaneis corporum macerationibus ludibrio habendis, adeo jam noſtris ab Interpretibus confutati ſunt, ut novus hac in re labor ſupervacaneus eſſe videatur. Sane præclara ſunt illa Apoſtoli I. ad Corinthios 9. *Caſtigo corpus meum*, *& in ſervitutem redigo*, *ne forte cum aliis prædicaverim*, *ipſe reprobus efficiar*. Abeſt quippe adeo ut ſponte ſuſcepta pœnitentiæ opera damnaverint Apoſtoli, quin ea probaverint magis, præceperint, atque adeo commendaverint, exquiſitis additis conſiliis, ſicut illud Apoſtoli I ad Corinthios 7 *Nolite fraudare invicem*, *niſi forte ex conſenſu ad tempus*, *ut vacetis Orationi*. Sique Adverſarii aureum legiſſent præclariſſimi Mamachii *de Moribus*

ribus primorum Chriſtianorum Opus, profectò intellexiſſent, eos etiam tum ab Animatis, tum a vino, & ab Uxoribus, pietatis ergo, ſponte frequenterque abſtinuiſſe, Angelos debito cultu fuiſſe proſequutos, ac veluti noſtrarum Præſides rerum reſpexiſſe. Patres Apoſtolicos a Cotelerio editos evolvas, memoratum ab illis invenies *Angelum vocationis Gentium*, *Angelum puerperii*, *Baptiſmi Angelum*, *pænitentiæ*, *pacis*, *mortis*, & apud Clementem Alexandrinum, Libro Stromatum IV. *Angelos*, *qui præſunt aſcenſui*, τοῖς ἐφεστῶσι τῇ ἀνόδῳ Ἀγγέλοις. Quin Divus Gregorius Nyſſenus in Oratione adverſus moroſos Baptiſmi in vitæ finem dilatores, habet inter reliqua: ψυχὴν ἀφώτιστον καὶ τῇ χάριτι τῆς παλιγγενεσίας μὴ κοσμηθεῖσαν οὐκ οἶδα εἰ οἱ ἄγγελοι μετὰ τὸν χωρισμὸν τοῦ σώματος ὑποδέχονται, κ. τ. λ. *Animam Baptiſmo non illuminatam, & regenerationis gratia non ornatam, neſcio an Angeli ſuſcipiant, poſtquam fuerit ſeparata a corpore. Quomodo enim quum non ſit obſignata, neque ullum ferat ſignum ſui Domini, quam eſt veriſimile per aerem ferri errantem, & vagantem &c.* Et Paullus inter Chriſtianæ profeſſionis dotes & fructus beatam illam oſtentabat cum Angelis conſociationem Capite XII. ad Hebræos

bræos ſcribens: *Acceſiſtis ad Sion Montem, & Civitatem Dei viventis, Jeruſalem cæleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam*. Denique Chriſtus ipſe retulit, Angelos animam Lazari in ſinu Abrahæ detuliſſe; quin inde ſequatur, eos a Chriſtianis habitos fuiſſe tamquam mediatores, aut Apoſtolicos Viros ab ipſis purgationem animi, & unionem cum Deo expectaſſe. Fuerunt & ſuæ primi Chriſtianis cœleſtes Angelorum Viſiones, ut ex divina Apocalypſi Johannis patet, in qua Sacram contemplari vales & veluti Chriſtianam Theurgiam, arcanam illam quidem & occultam, paucisque, pro Myſteriorum Lege, ætate illa manifeſtam, ideoque ſeriore tantum tempore in vulgatum denique Scripturarum Canonem relatam. Contemplari, inquam, in ea vales beatas cœleſteſque Angelorum Viſiones & apparitiones, plurimas illas quidem, atque inter ſe diſtinctas. Conſtat quippe Johannem aliquoties fuiſſe ſpiritu correptum, neque omnia uno loco; ſed quædam in Patmo, quædam in cœlo, nonnulla ad littus maris, nonnulla in deſerto, aliqua in monte excelſo denique vidiſſe. In beato illo autem Dramate Prophetico ex diverſis ſcenis alii poſt alios in theatrum pro-

prodiere, rurſuſque abſceſſere Angeli, qui omnem Eccleſiæ progreſſum, omneſque ferme inſignes ipſius caſus eventuſque tam proſperos, quam adverſos deſcripſere ac repræſentavere; tantumque abfuit ut ſe, tamquam Deos ac mediatores, adorari paterentur, ut id vetuerint quammaxime, totique fuerint in precibus, hymnis, & epiniciis erga Deum, & Chriſtum, ob Eccleſiæ liberationem, & victoriam de hoſtibus relatam. Quid dicam de Viſionibus Hermæ, ſcilicet Paſtoris? quas tanto in pretio Alexandrina præſertim habuit Eccleſia, ut publice Liber ille in ea legeretur, quemadmodum Cardinalis Orſius oſtendit in *Diſſertatione Hiſtorica de Capitalium Criminum Abſolutione* Sectione I. Cap. 6. Cœleſtes vero ejuſmodi Angelorum Viſiones ab Apoſtolis ad Cyprianum uſque, per intervalla perſeveravere, quemadmodum Doduvellus, *Diſſertatione IV. Cyprianica*, & Cardinalis Orſius, in *Diſſertatione Apologetica* adverſus Baſnagium pro Orthodoxia Sanctarum Perpetuæ ac Felicitatis Martyrum, oſtenderunt; quare conſequens eſt, Apoſtolum neque noſtram erga Angelos venerationem criminatum eſſe, neque ſponte ſuſcepta pœnitentiæ opera, a primis Chriſtianis,

ipſiſ-

ipſiſque ab Apoſtolis jugi ſtudio frequentata.

Alii fuere, qui ex loco Apoſtoli minime condemnatum iri pœnitentiæ opera ſponte a Fidelibus exercita, faſſi ſunt; ſed ex Apoſtolica doctrina jus ortum credidere, veteres illos criminandi, qui Chriſtianos Baptiſmate initiandos diſciplinæ ſubjecere ab Ethnicorum moribus, dum in Myſteriis initiarentur, derivatæ. Id enim probari poſſe contenderunt ex iis, quæ habet Divus Auguſtinus in Libro de Fide, & Operibus, ubi de Catechumenis ad Baptiſmi ſuſceptionem deſtinatis verba faciens ſcripſit: *Quo ſine dubio non admitterentur, ſi per ipſos dies, quibus eamdem gratiam percepturi, ſuis nominibus datis, abſtinentia, jejuniis, exorciſmiſque purgantur, cum ſuis legitimis, & veris Uxoribus ſe concubituros profiterentur, atque hujus rei, quamvis alio tempore licitæ, paucis illis ſolemnibus diebus nullam continentiam ſervaturos*. Urget revera eam ætati ſuæ conſuetudinem idem Sanctus Pater ſermone CXVI. de Tempore, Neophytos præſertim reſpiciens illos, qui dum Ethnici adhuc forent, gravioribus ſe ſe maculaverant delictis, ajens: *Hoc ante omnia quicumque ſe has culpas habere vident, obſervent, ut caſtitatem & ante Baptiſmum cuſtodiant*,

diant , & poſt Baptiſmum non pauco tempore ſe a voluptate contineant . Meminit iſtius conſuetudinis Sanctus Hieronymus , Epiſtola LXXXIII. ad Oceanum ſcribens : *Audiant Catechumeni , qui Fidei ſunt Candidati , ne uxores ducant ante Baptiſma , ne honeſta jungant Matrimonia* . Denique ea omnia quæ Theurgi ſuis Initiandis præcipiebant , videtur præcepiſſe Baptizandis Concilium Carthaginenſe IV. cujus Canon 85 ita ſtatuit : *Baptizandi nomen ſuum dent , & diu abſtinentia vini , & carnium , & manus impoſitione crebra examinati baptizentur* . Canon autem 86. *Neophyti aliquandiu a lautioribus epulis , & ſpectaculis , & conjugibus abſtineant* . Ex quibus Adverſarii conſequuti ſunt , veteres illos , ea , quæ in Myſteriorum ſuorum initiatione Ethnici uſurpabant , ad Chriſtianam initiationem ſuperſtitioſe tranſtuliſſe , & ſuave Chriſti jugum in immane & gravius vertere cœpiſſe .

Verum in primis , quæ nam obſecro Myſteriis noſtris , quænam facta fuit Baptiſmati injuria , ſi eos præſertim , qui gravioribus ſe ſe maculaverant delictis , ad pœnitentiæ , humilitatis , & abſtinentiæ opera , antequam ſacro initiarentur lavacro , exercenda coegerint Chriſtiani Patres ; ſique eos ita aptaverint ad bene-

ficium

ficium divinæ regenerationis conſequendum? Nonne id ipſa natura docet? Nonne convenit cum doctrina & ratione agendi Apoſtolorum, quemadmodum intelligimus ex Actorum II. Divo Petro ita prædicante: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum?* Si Apoſtolica ætate adultæ ætatis homines, antequam Chriſtianis initiarentur Myſteriis, pœnitentiæ opera edere debebant, Patres accuſandi non ſunt, qui pœnitentiæ modum aliquem conſtituerunt, abſtinentiam ſcilicet a vino, carnibus, epulis, ſpectaculis, conjugibus; quæ profecto abſtinentiarum genera, idonea eſſe præparationis media intelligere ſuipte natura potuere, quin de Theurgicis Ethnicorum Myſteriis, & initiatione in eiſdem cogitaverint. Quas nanquippe rationes habuerint Patres ſeveriorem ſanciendi tertio Seculo inclinante diſciplinam, doctiſſimus Cardinalis Orſius in citato Opere recenſet, Sectione VI. Cap. 2. videlicet ex corruptione morum, ex ferme abrogatis, aut valde attenuatis Martyrum, & Confeſſorum privilegiis, ex perſequutionum infrequentia & raritate, ex Hæreſi Novatianorum.

Quid quod univerſalis non fuit illa Eccleſiæ diſciplina, neque Orientales Patres in Bap-

tiſmi initiatione videntur ea omnia, quæ Occidentales urgebant, genera abſtinentiarum poſtulaſſe, quod patet ex Divo Gregorio Nazianzeno, in celebri Oratione ſua *de Baptiſmo*, quæ eſt XL. & in qua totus erat Sanctus Pater, ut ad Baptiſma ſollicite ſuſcipiendum eos hortaretur, qui ſerum nimis in tempus illud differebant. Ajebat autem inter cætera: *Nondum fortaſſe uxori copulatus es? Ne Baptiſmi perfectionem exſtimeſcas. Puritatis tibi ratio etiam inito matrimonio conſtabit. In me hoc periculum recipio; ego harum nuptiarum conglutinator, & auſpex. Id modo tibi curæ ſit, ut purum ſit matrimonium, atque ab obſcœnarum cupiditatum contagione, liberum. Hoc unum a te poſco, ut a dono ſecuritatem accipias, ac viciſſim de dono rependas; ut certo tempore, hoc eſt, quandiu aſſignatum Orationi tempus omni occupatione præſtabilius eſt, a re uxoria abſtineas, idque ex communi pacto, & conſenſu. Non enim legem ſancimus, ſed conſilium damus.* καὶ δὸς τῷ δώρῳ τὴν ἁγνείαν κατὰ καιρόν· ἕως εὐχῆς πρόκειται προθεσμία, καὶ ἀσχολίας τιμιωτέρα· καὶ ταῦτα ἐκ κοινῆς ὁμολογίας, καὶ συναιρέσεως. οὐ γὰρ νομοθετοῦμεν, ἀλλὰ παραινοῦμεν. Quamvis igitur Nazianzenus, cæterique Orientales Patres, de pœnitentia in adultis, deque præ-

para-

parationibus ad ſuſceptionem Baptiſmatis eſſent quam maxime ſolliciti, in ipſius collatione tamen non videntur eam propoſuiſſe diſciplinam, quæ apud aliquos viguit Occidentales; quum utrique adhuc pro doctrina Apoſtolorum, ſingularia pœnitentiæ opera, etiam poſt Baptiſmum, neceſſaria eſſe prædicaverint, ad effectus divinæ illius Initiationis conſervandos; quare mox citato loco allegatus Pater: *Magnum tibi ad ea, quæ cupis, aſſequenda, & retinenda, ſubſidium afferent vigiliæ, jejunia, chameuniæ, orationes, lacrymæ, commiſeratio pauperum, largitio &c.* Quibus ſcilicet, eos, qui ſtatim initiarentur, in ſpem erigit, fore, ut, Divino Numine volentes Initiationis beneficium non amitterent.

Equidem fateor, nonnullas cæremonias a ritibus Gentilium mutuari Eccleſiam potuiſſe, ut iis nonnihil indulgeret, qui ab Idolorum cultu ad Chriſtianam Religionem vocati, in eos ritus propendebant, præcipue quum ſe ſolis indifferentes, in optimum & laudabilem uſum converti poſſent, quemadmodum doctiſſimos poſt Viros oſtendit Natalis Argonenſis, in Opere *de optima legendorum Eccleſiæ Patrum methodo*, Parte III. Cap. 18. Cui tamen confit-

mandæ veritati ignoro, cur protulerit hæc ex Libro Stromatum V. Clementis Alexandrini verba: *Non abs re ergo in Myſteriis quoque apud Græcos primum locum tenent expiationes, & luſtrationes, ſicut etiam apud Barbaros lavacrum. Poſt hæc autem ſunt parva Myſteria, quæ habent aliquod fundamentum doctrinæ, & præparationis futurorum*. Quibus nempe ſolis verbis in ſcopum citatum allegatis Gallus Scriptor anſam præbere videretur ſuſpicandi, Sanctum Patrem Myſteria noſtrà cum Myſteriis Gentilium, aut ea cum noſtris ita contuliſſe, ut eorumdem celebrandorum ratio & diſciplina inter cæteros innocuos ritus recenſeri poſſet, quos deſumſit a Gentilibus Eccleſia. Perperam id tamen: hallucinatumque heic fuiſſe Argonenſem probe intellexit qui ejus Opus ex gallico in latinum ſermonem tranſtulit præclariſſimus Interpres, qui adnotatione in allegatam citationem ita ſcripſit: *Non ait Divus Clemens Alexandrinus deſumta Chriſtianorum inſtituta a Paganis, ſed agnoſcit ſolummodo in Ethnicorum ritibus aliquam Chriſtianæ Religionis figuram*; habent, *inquit*, aliquod fundamentum doctrinæ, & præparationis futurorum. *Quamobrem laudata Divi Clementis verba ad*

 Au-

Auctoris propoſitum parum omnino conducunt. Rectiſſime. Aſt verum ne Sanctum Patrem citato in teſtimonio aliquam agnoſcere in Ethnicorum ritibus Chriſtianæ Religionis figuram? Pace doctiſſimi, præſtantiſſimique Viri, quem maximi facio, & ſemper faciam, numquam crediderim, laudato in loco id a Sancto Patre cogitatum. Satis enim ſit integrum adferre textum, qui eſt ejuſmodi: *Non abs re ergo in Myſteriis quoque apud Græcos primum locum tenent, expiationes, & luſtrationes, ſicut etiam apud Barbaros lavacrum. Poſt hæc autem ſunt parva Myſteria, quæ habent aliquod fundamentum doctrinæ, & præparationis futurorum: in magnis autem de univerſis non reſtat amplius diſcere, ſed contemplari, & mente comprehendere. Accipiemus autem expiandi quidem modum Confeſſione, contemplandi autem reſolutione, procedentes ad primam Intelligentiam per reſolutionem, ex iis quæ ſunt ei ſubjecta ducentes initium, abſtrahentes quidem a corpore qualitates naturales, circumcidentes autem eam, quæ eſt in profundum dimenſionem: & deinde eam, quæ eſt in latitudinem, poſt hæc eam, quæ eſt in longitudinem. Quod enim reſtat ſignum, eſt unitas, ut ita dicam, habens ſitum: a qua ſi tollamus ſitum,*

intelligitur unitas . Si ergo ablatis omnibus quæ adſunt corporibus , & iis , quæ dicuntur incorporea , nos ipſos projecerimus in Chriſti magnitudinem , & inde in ejus immenſitatem ſanctitate proceſſerimus , ad intelligentiam Omnipotentis utcumque perveniemus , non ita tamen ut quod eſt , ſed quod non eſt cognoſcamus . Quonam jure obſecro in his agnitam arbitrabere a Sancto Patre in Ethnicis ritibus aliquam Chriſtianæ Religionis figuram ? Alluſio heic ſolum , & aliqualis ſimilitudo eſt, qua ſignificare voluit Clemens, ea veluti ratione , eoque prope pacto, quo poſt expiationes , luſtrationes , & lavacra , in Myſteriis Gentilium initiati , per aliquos iterum ritus ac temporis ſpatium , ad arcaniora ſe ſe illarum Conſecrationum ſecreta præparabant ; ita baptizatos æque , expiatoſque per Confeſſionem in Eccleſia, cœleſtium poſtea meditatione rerum, earumque præſertim , quæ ad immenſa in nos Chriſti beneficia ſpectant , ad altiorem ſe ſe Numinis contemplationem erigere oportuiſſe , illudque alienum eſſe ab omni concretione mortali perfectius intelligere . Itaque ſimilitudinem tantum intendit Sanctus Pater inter præparationes in parvis Myſteriis uſurpatas , ſive inter notiſſimos gradus , quibus Ethnici ad majora My-

Myſteria perveniebant, & progreſſus profectuſque eorum, qui initiati expiatique erant in ſacris Chriſtianis; tacite innuens, ſi velis, ea, quæ diviſa Theurgos, & Philoſophos efficere beatos credebantur, Chriſtianam Religionem collecta in ſe habere, & ipſam utrumque revera præſtare ac poſcere, expiationis nempe, & contemplationis beneficium. Id, inquam, quum modo intenderit, & porro ſolum expreſſerit Sanctus Pater, non erat, cur Argonenſis priora illa divelleret a textu verba in confirmationem rituum, quos Eccleſia a Gentilibus deſumſit; multoque minus erat, cur diligentiſſimus Interpres verba: *habent aliquod fundamentum doctrinæ, & præparationis futurorum*, ad figuram referret aliquam Chriſtianæ Religionis, quam Clemens agnoviſſet in ritibus Gentilium, ſed ea neceſſario intelligere oportebat de figura magnorum Myſteriorum quæ in parvis celebrabatur; quum Ethnici revera in parvis Myſteriis varias per figuras, & prævias purgationes, ſe ſe ad majora præpararent. Quare parva Myſteria fundamentum aliquod habebant doctrinæ & præparationis magnorum Myſteriorum Ethniciſmi, ſed nullum habebant fundamentum doctrinæ, & præparationis Myſte-

riorum Religionis Chriſtianæ. Frequens omnino eſt apud Clementem Alexandrinum de expiatione & contemplatione Chriſtianorum differentem ſimilis ad Myſteria Gentilium alluſio, ut oſtendit Johannes Potterus in Adnotationibus tum ad locum de quo agimus, tum ad Librum Stromatum I., utrobique ſimillimam adferens Marini *in Vita Procli* alluſionem, agentis de inductione ad Platonicam contemplationem. Quemadmodum autem nemo cogitaverit, Marinum ita alludentem, ſenſiſſe philoſophica Platonicorum Myſteria deſumpta fuiſſe a Myſteriis Deorum, aut hæc illorum figuras fuiſſe; ita ex ſimili & frequenti Clementis Alexandrini alluſione nemo jure intulerit, Sanctum Patrem aut de figura Chriſtianarum rerum in Myſteriis Gentilium, aut ex horum diſciplina noſtram animæ purgandæ perficiendæque ortam rationem, & viam cogitaſſe.

Ut ut vero exterior eorum, qui in Chriſti Myſteriis initiandi erant, diſciplina aliquam alicubi præſetuliſſet ſimilitudinem cum moribus, & cæremoniis, quas in Myſteriorum ſuorum initiatione Hieratici uſurpabant; nullus tamen fingi nexus poteſt inter ritus diverſa adeo Lege, diverſa de cauſſa, diverſaque men-

mente & conſilio frequentatos. Opportunum habemus ex doctrina Auguſtini exemplum, occaſione manichæorum, qui ex eo quod non veſcerentur carnibus, neque vinum biberent, imitandum id ac laudandum exiſtimabant, præſertim propterea quod in moribus id fuiſſe crederent Apoſtolorum. Aſt inquirebat Sanctus Pater quonam fine id præſtarent? Hæcque inter cætera habebat Libro XXX. contra Fauſtum, Capite quinto: *Audi ergo, quod conſiteris te non videre, qua mente, aut conſilio, hoc adverſum vos capitulum proferamus: non quod a carnibus abſtineatis, nam hoc a quibuſdam & primi Patres noſtri fecerunt, ſicut commemoras; non tamen ea damnandi, ſed ſignificandi gratia; & Chriſtiani, non Hæretici, ſed Catholici, edomandi corporis cauſſa, propter animam in Orationibus amplius humiliandam; non quod illa eſſe immunda credant, non ſolum a carnibus, verum a quibuſdam etiam terræ fructibus abſtinent, vel ſemper, ſicut pauci, vel certis diebus ac temporibus, ſicut per Quadrageſimam fere omnes, quanto magis quiſque, vel minus ſeu voluerit, ſeu potuerit. Vos autem ipſam creaturam negatis bonam, & immundam dicitis, quod carnes Diabolus operetur fæculen-*

V 5 *tiore*

tiore materia mali; *ac per hoc eas*, *tamquam immundiora*, *& truculentiora Dei veſtri vincula*, *exhorrentes abjicitis*. Abſtinentia demum Chriſtianis a Patribus inducta, & vera fuit, & intra humanitatis cancellos prudentiſſime contenta; quum Orthodoxi eo ſemper acti fuerint pœnitentiæ ſpiritu, & modo, quem egregie expreſſit Divus Thomas, ſecunda ſecundæ. Quæſtione LXXXVIII. articulo II. ad 3. ſcribens: *Maceratio proprii corporis*, *puta per vigilias*, *& jejunia*, *non eſt Deo accepta*, *niſi in quantum eſt opus virtutis*; *quod quidem eſt*, *in quantum cum debita diſcretione ſit*, *ut ſcilicet concupiſcentia refrænetur*, *& natura non nimis gravetur*. Ex oppoſito vel ficta, & ſimulata fuit πτανοφρεολῶν Theurgorum, vel aſpera nimium, & prope crudelis atque barbara; *exerentes potius*, *quam tundentes pectora*, ſcribebat Auguſtinus ut vidimus, de iis, *qui inciderant in deſiderium curioſarum Viſionum*, *& mediationem Angelorum*. Eam porro diſciplinam λόγον nomen quidem habere ſapientiæ ſcripſit Divus Paullus, ſed *in humilitate & ſuperſtitione Angelorum*, quod ita ſcilicet arbitrarentur decepti Theurgi ac Gentiles, ceu ad purgationem & liberationem animæ, atque ad ipſius

cum

cum Diis unionem conſequendam, ut jactabant, uſurpata. Cæterum ſubdidit confeſtim Paullus ejuſmodi eam fuiſſe, ut recte inſtitutos Chriſtianos neque commovere, neque ulla debuiſſet ſeducere ratione, quod ab iis in Angelorum, ſcilicet in Creaturæ cultum ſuperſtitioſe frequentata; qui Chriſtum Corporis myſtici Caput eſſe ignorantes, extra illud, ſcilicet Eccleſiam, ideoque extra ſpem & viam veræ beatitudinis agebant. Quam præclare id exprimit Hieronymus! qui Libro VIII. Commentarii in Iſaiam Cap. 26. verba allegans Capitis 16. Proverbiorum: *Eſt via, quæ videtur homini recta, & noviſſima ejus ducunt ad mortem*, ita effatum hoc interpretatur, ac illuſtrat: *Unde debemus juſtitiam diſcere, nec confidere proprio judicio. Eſt enim juſtus, qui pereat in juſtitia ſua, non quo juſtus ſit, ſed quo ſibi juſtus eſſe videatur. Sin autem Chriſtus factus eſt nobis a Deo ſapientia, & juſtitia, ſanctificatio, & redemptio, quibus percipitur ut cognoſcant juſtitiam, hoc jubetur, ut Chriſtum diſcant, atque cognoſcant*. Idem omnino erat Paulli ſenſus in Epiſtola ad Coloſſenſes, ubi de ſeveriſſima illorum ajebat diſciplina, qui Chriſtum eſſe purgationis & liberationis noſtræ principium ignoran-

rantes, in humilitate verſabantur, & religione Angelorum.

Apoſtolus igitur, celebratis Coloſſenſium, & Laodicenſium Chariſmatibus, & ſingulariſſima eorum Chriſtianis in virtutibus conſtantia, quare neminem jam demum vererentur fore, qui aut profanæ Philoſophiæ ſophiſmatibus, aut inani eloquentiæ adparatu, aut Legalium ſtudio cæremoniarum, ipſos a vera & orthodoxa avocaret Chriſtianæ pietatis, & libertatis norma, quo magis magiſque feliciſſimum eorumdem ipſis oſtentaret ſtatum, ita proſequutus eſt: *Nemo vos ſeducat volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens Caput, ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum, creſcit in augmentum Dei. Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis hujus mundi, quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis? Neque tetigeritis, neque guſtaveritis, neque contrectaveritis; quæ ſunt omnia in interitum ipſo uſu, ſecundum præcepta, & doctrinas hominum: quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ in ſuperſtitione & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis.*

nis. *Igitur*, *ſi conſurrexiſtis cum Chriſto*, *quæ ſurſum ſunt quærite*, *ubi Chriſtus eſt*, *in dextera Dei ſedens*, *quæ ſurſum ſunt ſapite*, *non quæ ſuper terram*. *Cum Chriſtus apparuerit*, *vita veſtra*: *tunc & vos quoque apparebitis cum ipſo in gloria*. Quorum quidem nos, eorum ratione, quæ in univerſo hoc Commentario diſſeruimus, Paraphraſim hanc contexere poſſe exiſtimamus: *Ejuſmodi quum ſitis*, *ne illi quidem ſe vobis præſtantiores eſſe imaginentur*, *aut palmam eripere vobis poſſe confidant*, *qui auſteriſſimum affectantes continentiæ*, *abſtinentiæque*, *aut dejectionis animi*, *& mortificationis ſenſuum ſtatum*, *atque eximiæ gradum puritatis ſimulantes*, *quærunt in humilitate ſuperbiam*, *ac Theurgicam jactant religionem & mediationem Angelorum*, *ut a vera Chriſti mediatione & Religione vos abducant*. *Quiſquis enim ejuſmodi eſt*, *a recta tamen aberrat via*, *quia Chriſtum non adorat*, *ſolum principium purgationis*, *& liberationis noſtræ*, *quippe quod mediis tantum ab ipſo inſtitutis*, *ii*, *qui membra ſunt illius corporis myſtici*, *cujus ipſe eſt Caput*, *aſcendere valeant ad unionem beatificam cum Deo*. *Quum Vos*, *o Coloſſenſes*, *per Baptiſmum juſtificati*, *& vivificati*, *purgatique jam & liberati*, *eo con-*

conſtituti ſitis in ſtatu, ut non Angelis indigeatis, non Archangelis, non cæteris ſpiritibus, Rectoribus hujus mundi appellatis, neque ullis, ut adhuc purgemini, indigeatis eorum Myſteriis, aut cæremoniis; eccur aliquem, obſecro, cum admiratione adhuc audiretis ſua vobis ſomnia jactantem, & neſcio quas Viſiones Angelorum, præcipientium abſtinentiam ab uxoribus, ab animatis, & a vino, quaſi corporea hæc animum adeo corrumperent, ut ipſius unioni cum Deo beatificæ obeſſent? Tam ſevera, fateor, diſciplina nomen habet, ac ſpeciem quamdam ſapientiæ, magnoque a Cultoribus illis Angelorum in pretio habetur, propterea quod ab omni ſenſuum, & uxoria etiam illecebra abſtinentes, caſtum ſe purumque, & Angelis accommodatum ſuis præſtare credunt cultum, quo eos propitios habeant ad aſcenſum in cælum obtinendum. Verum, inania ſunt hæc rerum non compertarum ſomnia. Si vos cum Chriſto per Baptiſmum ſurrexiſtis, itaque ipſum modo cogitare & facere debetis. Tum enim quum Chriſtus vitæ ſpiritualis, liberationis, & purgationis veſtræ principium, in judicio apparebit, Vos quoque cum ipſo magna manifeſtabimini cum gloria, vitam immortalem, & beatam cum ipſo unionem

con-

conſequuti . Hunc autem ſenſum quum univerſus Apoſtoli contextus nobis habere videatur , inferendum ducimus , hoc ipſum in Epiſtolæ ad Coloſſenſes Capite , non modo , ut intelligitur ex anterioribus ipſius verbis : *Nemo vos judicet in cibo , aut in potu , aut in partibus diei feſti , aut Neomeniæ , aut Sabbatorum* , Judæos reſpexiſſe , Phariſæos , & Pſeudoapoſtolos ; verum etiam Hieraticos , ac Theurgos , purgationem , & liberationem animæ , mediantibus Angelis ſpondentes , ac propterea Theurgica quoque Myſteria fuiſſe tunc a Divo Paullo memorata .

F I N I S.

HU-

HUCUSQUE EDITA AUCTORIS OPERA.

Patriarchæ Joſephi, Ægypti, olim Proregis, Religio a criminationibus Baſnagii vindicata. Neapoli excudebat Felix Carolus Moſca 1738. *Iterum Tomo XXIII. Collectionis Calogieranæ pag.* 135. *Venetiis apud Simonem Occhi* 1741. *Iterum Brixiæ apud Johannem Baptiſtam Roſſinum*, 1747. *in* 8.

De Inopia veterum Monumentorum pro copia Martyrum dignoſcenda adverſus Dodwellum Diſſertatio. Mediolani apud Joſephum Richinum Malateſtam, 1740. *in* 8.

De Martyribus ſine Sanguine altera adverſus Dodwellum Diſſertatio. Mediolani apud Joſephum Richinum Malateſtam, 1744. *in* 8. *Hæc, & ſuperior Diſſertatio ſimul editæ iterum fuere, Venetiis, typis Petri Valvaſenſis*, 1756. *in* 4.

De Traditione Principiorum Legis Naturalis Libri III. Mediolani apud Joſephum Richinum Malateſtam, 1742. *in* 4.

De Romana Tutelarium Deorum in Oppugnationibus Urbium Evocatione Liber ſingularis. Brixiæ ex Typographia Johannis Mariæ Rizzardi, 1743. *in* 8. *Iterum Venetiis apud Petrum Valvaſenſem*, 1753. *Iterum Venetiis* 1761. *in* 8.

De Forenſi Judæorum Buccina Commentarius. Brixiæ excudebat Johannes Maria Rizzardi, 1745 *in* 4.

Herodiani Infanticidii Vindiciæ. Accedit Diſſertatio de Loco Johannis aliter atque habet Vulgata a nonnullis Patribus lecto. Brixiæ apud Johannem Mariam Rizzardum, 1746. *in* 4.

De Authenticis Sacrarum Scripturarum apud Sanctos Patres Lectionibus ad Benedictum XIV. P. M. Libri II. Veronæ apud Auguſtinum Carattoni, 1747. *in* 4.

De Futuro Sæculo ab Hebræis ante captivitatem cognito adverſus Johannem Clericum Commentarius. Mediolani in Regia Curia, 1748. *in* 8.

De Diptycho Quiriniano Epiſtola ad Eminentiſſimum Cardinalem Quirinum, Tomo XL. Collectionis Calogerianæ, pag. 187.

De

De Diptycho Quiriniano; Epiſtola ſecunda ad Eminentiſſimum Cardinalem Quirinum. Brixiæ apud Jacobum Turlinum, 1749. in 4. Iterum Tomo XLII. Collectionis Calogerianæ, pag 237.

De Tarſenſi Hercule in viridi Jaſpide inſculpto ad Clariſs. V. Albertum Mazzolenum Abbatem Caſinenſem Epiſtola: Brixiæ apud Jacobum Turlinum, 1749. in 4.

Oratio habita in Athenæo Ferrarienſi dum publici Sacræ Theologiæ Profeſſoris munus auſpicaretur anno MDCCL. Ferrariæ apud Joſephum Barberium, 1750. in 4.

Oratio habita in Athenæo Ferrarienſi, anno MDCCLI. Ferrariæ apud Joſephum Barberium, 1751. in 4.

De Baptiſmate in Spiritu Sancto & igni Commentarius Sacer Philologico-Criticus, cui accedunt Orationes duæ in Athenæo Ferrarienſi habitæ. Mediolani in Regia Curia, 1752. in 4

Oratio in Athenæo Ferrarienſi habita, anno MDCCLII. Venetiis apud Simonem Occhi, 1752. in 4.

Oratio Ferrarienſi in Athenæo habita in Dedicatione publicæ Bibliothecæ anno MDCCLIII. Ferrariæ apud Joſephum Barberium, 1753. in 4

De ſacro & publico apud Ethnicos pictarum Tabularum cultu adverſus recentiores Græcos Diſſertatio. Venetiis apud Petrum Valvaſenſem, 1753. in 4

Vindiciæ Maupertuiſianæ ab Animadverſionibus Viri Clariſſimi Franciſci Mariæ Zanotti, quibus quantum Philoſophiæ Morali Stoicorum præſtet Religio in infelicitate vitæ minuenda demonſtratur. Venetiis apud Petrum Valvaſenſem, 1754. in 4.

De Theurgia, deque Theurgicis Ethnicorum Myſteriis a Divo Paullo memoratis Commentarius, Mediolani in Regia Curia, 1761. in 8.

ITA-

ITALICE EDITA.

Poſtremum Opus, ſub titulo: Difeſa del Signor di Maupertuis dalle Cenſure del Signor Dottor Franceſco Maria Zanotti, tradotta dal Latino, del Padre Caſto Innocente Anſaldi in linguaggio Italiano da Lorenzo Dorighi Ferrareſe. In Venezia appreſſo Pietro Valvaſenſe, 1756. in 4. *Reperitur Tomo I. Operis:* Raccolta di Trattati di diverſi Autori concernenti alla Religion Naturale, e alla Morale Filoſofia de' Criſtiani, e degli Stoici.

Lettera del Padre Caſto Innocente Anſaldi Domenicano, al Signor Dottor Franceſco Maria Zanotti, in riſpoſta ai tre diſcorſi da queſt' ultimo ſtampati contro la difeſa del Signor di Maupertuis. Venezia, appreſſo Pietro Valvaſenſe 1755. in 8. *Iterum, Tomo II. Operis:* Raccolta di Trattati di diverſi Autori ec

Della neceſſità, e verità della Religione naturale, e Rivelata, Ragionamento del Padre Caſto Innocente Anſaldi Domenicano. Venezia appreſſo Pietro Valvaſenſe, 1755. in 8.

Digitized by Google

DOS652885

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google